





1793.1
144
10

DISSERTATIO INAUGURALIS
IVRIS ECCLESIASTICI PRIVATI
DE
ONERE REFICIENDI ECCLESIAS
ET
AEDES PAROCHIALES.

QVAM CVM SVBIVNCTIS
EX VNIVERSO IVRE POSITIONIBVS
IN ALMA IVLIO - DVCALI WIRCEBVRGENSIVM ACADEMIA
AVCTORITATE AMPLISSIMI IVRECONSULTORVM ORDINIS
PRAESIDE
PLVRIMVM REVERENDO, MAGNIFICO, CLARISSIMO ET
CONSULTISSIMO VIRO AC DOMINO
IOANNE PHILIPPO GREGEL
F. V. D. REVEREND. ET CELSISS. S. R. I. PRINCIPIS, EPISCOPI BAMBERG. ET
WIRCEBVRG. F. O. DVICIS CONSIL. ECCLES. INSIGN. ECCLES. COLLEG. IN HAVGIS
CANON. CAP. IVRIS ECCLES. PROFESS. PVBL. ET ORD.

PRO LICENTIA
SVMOS IN VTROQVE IVRE HONORES LEGITIME CAPESSENDI
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVIVISIONI SVBMITTIT
NICOLAVS ANTONIVS KVHN
WERNECENSIS.

WIRCEBVRGI IN AVDITORIO IVRIDICO
DIE I VNI ANNO MDCCKCIII.

TYPIS FRANCISCI ERNESTI NITRIBIT, VNIVERSITATIS TYPOGRAPHI.

DISSEMINATIO IN AVARIA

ILLIUS RECESSITUS PRIVATI

D. S.

ONERE REFINIENDI ECCLESIAE

ADDES PAROCHIALES

EX UNIVERSO IVRE POSTIGNITUS
IN ALIA IVRA - DICTA - WIRTSCHAFTS
VACTONATE AMPLIUM IVERCONSVI TORIT

IOHANNES PHILIPPUS GREGEL

ET CELSISS. A. L. FRONKEL, VON DER UNIVERSITÄT
WÜRZBURG, IN DER RECHTSSACHS. FACULTÄT
PUBLIC. PROFESSOR, A. D. 1800

WIRTSCHAFTS UNIVERSITÄT WÜRZBURG

WIRTSCHAFTS UNIVERSITÄT WÜRZBURG

WIRTSCHAFTS UNIVERSITÄT WÜRZBURG

WIRTSCHAFTS UNIVERSITÄT WÜRZBURG

WIRTSCHAFTS UNIVERSITÄT WÜRZBURG



REVERENDISSIMO AC CELSISSIMO
S. R. I. PRINCIPI
AC
DOMINO DOMINO
FRANCISCO LVDOVICO
DEI GRATIA
EPISCOPO
BAMBERGENSI ET WIRCEBURGENSI
FRANCIAE ORIENTALIS DVCI
ETC. ETC.
DOMINO DOMINO SVO
LONGE CLEMENTISSIMO
HANC OPELLAM
SVMISSISSIME DEDICAT

Servorum in fenus

N. A. Kuhn.

REVERENDISSIMO AC CRISSIMO
S. R. I. P. R. I. N. C. I. P. I.
AD
DOMINO DOMINO
FRANCISCO LUDOVICO
DEI GRATIA
EPISCOPO
BAMBERGENSI ET WIRCEBURGENSI
TRAVNICAE ORIENTALIS DACI
ETC. ETC.
DOMINO DOMINO
LONDE GLENTENBURGO
HANC OPUSCULAM
REVERENDISSIMO DEDICAT

Invenit in
M. A. Kall



III Illi, in quorum commodum reditus & bona parochialia incorporata sunt. §. XLIV.

IV Decimatores, etiam laici, qui decimas ecclesiasticas percipiunt. §. XLV — LII.

V Patroni in Ecclesia, nisi iuri suo renuntiare malint. §. LIII — LVII.

VI Parochiani. Quid sentiendum sit de ob-
ligatione }
a) coetuum filialium, } §. LVIII — LXIV.
β) Protestantium, qui intra fines Paroch. }
commerantur ? }

CAP. III. DE BENEFICIO ORDINIS OBTINENTE INTER
EOS, QVI AD REFLECTIONEM ECCLESIAE PARO-
CHIALIVM TENENTVR, ET DE OBLIGATIONIS A
QVOVIS EXPLENDAE MENSURA.

A Quatuor statuuntur classes eorum, quibus onus fabricae incumbit, ita, vt subsequenter incuitu praecedentium beneficium ordinis competat. §. LXV — LXXXIII.

B Principia generalia quoad mensuram implendae obligationis; §. LXXIV — LXXVI.


C Specialia quoad singulas obligatorum classes. §. LXXVII — LXXXIII.

CAP. IV. DE ONERE REFICIENDI AEDES PAROCHIALES.

A *Origo* aedium parochialium. §. LXXXIV & LXXXV.

B *Reparationes* a) minores Parocho,
β) maiores illis incumbunt, qui congruam pastoralem supplere tenentur. §. LXXXVI — XCIII.





CAPVT. I.
DE CVRA REFECTIONIS ECCLESIARVM ET AEDIVM
PAROCHIALIVM GENERATIM.

§. I.

Ecclēsiæ vocabulum a scriptoribus graecis pro populi con-
cionibus ad res ciuiles tractandas coactis vsurpatum fuit; Diversae
significati-
ones voca-
buli Eccle-
sia.
mox cum ipso christianae religionis exordio ad coetus fidelium
significandos adhiberi coepit, atque hoc sensu hodieum acci-
pitur, cum de quacunque societate hominum eandem religionem
profitentium sermo est; quae societates, si maiores sint, in suas
partes resolutas, ex integris denuo coetibus constant, quos simi-
liter Ecclesias appellamus, prout Ecclesia catholica in plures na-
tionales dispartitur, hae in dioecesanæ, in quibus porro Eccle-
sias cathedrales, collegiatas, parochiales aliasque reperire licet.
Verum successu temporis per Ecclesias etiam aedificia significari
coeperunt, in quibus coetus particulares ad colendam religionem
congregabantur, quo sensu de Ecclesiis, potissimum parochiali-
bus, deinceps in hac commentatione sermonem instituiam.

A 2

§. II.

*Ecclesiarum
variarum di-
versarum spe-
cies.*

Ecclesia hoc sensu sumta generatim denotat aedificium colendae religioni auctoritate publica destinatum; quod variis olim nominibus insignitum, atque a Latinis etiam *Dominicum* seu *domus Dei*, a Graecis *εὐαγγέλιον*), quandoque *Oratorium* vel *Basilica*, serius *Templum* vocabatur, a quibus vberius exponendis, cum ad propositum non faciant, abstineo. Illud autem hic monendum est, nostris temporibus rursus aliam inualuisse vocabulorum potestatem; postquam enim praeter auitam religionem catholicam etiam aliae in Imperio lege publica ciuilitate probatae fuerunt, ad normam nouae constitutionis sacrorum in Germania, inter exercitium religionis publicum & priuatum distinguitur, & publicum illud nominatur, quod etiam extra sacrorum faciendorum locum se manifestat, id quod non tantum per publicos conductus baptismales, nuptiales, funebres & similes ritus, sed per aedificii, in quo sacra celebrantur, externam faciem fieri potest; velut, si ex foribus, frontispicio, fenestris, turri campanaria imposita, paucis, ex ipsa structurae forma etiam a praetereuntibus dignosci, & prudenter iudicari possit, aedificium cultui religionis destinatum esse, in qua hypothese illud *Ecclesiam* proprie sic dictam (*eine Kirche*) nominamus. Si vero aedificium, in quo sacra peraguntur, ab aliis aedibus ad vsus profanos destinatis per structuram externam discerni nequeat, *Oratorium* (*ein Bethaus*) vocatur, & exercitio religionis priuato inseruit. Vtrumque religionis exercitium in hisce conuenit, quod coetus eiusdem religionis consortium congregentur, & sacrorum minister adhibeatur; vtrumque rursus non tantum inter se, modo paulo ante exposito, sed etiam a deuotione domestica cum simplici, tum qualificata discrepat, quod neutra harum praebet facultatem, coetum congregandi, quamuis caeteroquin cum deuotione domestica qualificata ius priuatorum sacrorum, siue ius, religioni adhibito eius ministro cum familia vacandi, sit coniunctum. Deuotio domestica simplex intra aedes ad habitandum destinatas se continere

de-

debet; qualificata tribuit ius, utendi oratorio seu Sacello domestico (eine *Karskappelle*) *b*).

- a*) Inde BINGHAM in *Origin. Eccles.* Lib. VIII. §. 2. nomen Kyrrik vel Kyrch in Scotia & Angliae partibus septentrionalibus vitatum deducit, & infert, religionem christianam primum a Graecis in illis regionibus propagatam fuisse; cumque ex Scotia & Anglia lux Evangelii in Germania magna diffusa fuerit, verosimile est, idem vocabulum, ad nos delatum, civitate donatum fuisse.
- b*) Iure Gentium europaeorum praefico hodie Legatis cuiuscunque ordinis cum familia & comitatu ius priuatorum sacrorum competit. *Go, Frid. MARTENS primae lineae iuris gent. europ. praefico* §. 178. sequi.

§. III.

Ecclesiarum proprie ita dictarum insignis & frequentissima species sunt *Ecclesiae parochiales*, per quas intelliguntur aedificia destinata ad colendam religionem a coetu, cui praefert Presbyter, ad curam animarum auctoritate ecclesiastica deputatus. Coetus ipse Pastori suo soadunatus *Parochiam* constituit; quod vocabulum etiam pro certo districtu sumitur, intra quem regimen internum pro colenda religione Presbytero competit. In Parochiis hoc sensu acceptis quandoque aliae Ecclesiae seu *Capellae* reperiuntur, quarum extructioni vel sacrarum reliquiarum custodia, vel imago aliqua a vulgo taumaturgica dicta *a*), vel votum extruentis, vel aliud singulare motivum ansam dedit. Capellae istae intra fines Parochiarum sitae raro ex vera utilitatis aut necessitatis spiritualis causa extractae fuerunt, hinc ad exemplum constitutionum a IOSEPHO II. & LEOPOLDO II. editarum *b*) execrandae, aut si id sine imbecillium scandalo fieri nequeat, suo saltem fato relinquendae essent. Quodsi enim Ecclesia ad eum statum redeat, a quo originem capere non debuisset, nulla iusta ratio perspicitur, cur modo vetustate corruens sit restauranda. Cum igitur Capellae, quod fieri solet, devotivneulas a vero religionis spiritu abhorrentes foueant, peregrinationibus, plerumque religioni & reipublicae nociuis, ansam praebent, a sacris secundum praescriptum legum ecclesiasticarum in Ecclesia parochiali *c*) peragendis

dis auocent, aut quandoque turpi etiam quaestui inferniant d), hinc, quae de Ecclesiarum refectione salubriter sunt constituta, intuitu Capellarum usum habere nequeunt, quia leges ecclesiasticae, iustam fuisse primae extractionis causam, eamque, dum refectionem urgent, adhuc perdurare supponunt. Ideoque lege dioecesana Herbipolensi; Decanis ruralibus iniunctum fuit, ne in aliqua Parochia noua Oratoria, vel Capellas extrui, aut vetustate collapsas refici permittant f).

- a) Haec denominatio repugnare videtur verbis decreti Tridentini *de invocatione, veneratione & reliquijs Sanctorum & sacris imaginibus*, vbi: „non quod credatur inesse aliqua in iis diuinitas, vel virtus, propter quam sint colendae, vel quod ab eis aliquid sit petendum; vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a Gentibus, quae in idolis spem suam collocabant.“
- b) *Sammlung der k. k. Verordnungen in publico-ecclesiasticis, Literae circulares LEOPOLDI CAES.* in *Actis Synodi Pistoriens.* pag. 95. num. 22 & 23.
- c) *Concil. Trident. Sess. XXII. in decreto de Sacrificio Missae*: „moneant etiam „populum, vt frequenter ad suas Parochias, saltem diebus Dominicis & maioribus festis accedat.“ *cap. 2. de Parochiis.*
- d) „Si quis Basilicam non pro deuotione fidei, sed pro quaestu cupiditatis aedificat: . . . Quod in aliquibus locis vsque modo dicitur fieri, hoc de caetero obseruari debet, vt nullus Episcoporum tam abominabili voto consentiat.“ *can. 10. Dist. 1. de consuet.*
- e) *Cap. 3 de Ecclesijs aedif. Conc. Trident. Sess. XXI. cap. 4 de reform.*
- f) A. 1691. „Nächst diesem soll er dahin vigiliren, daß keine neue Oratoria, Kapellen oder Kirchen in unserer Diocesis aufbauet, noch darinnen neue Deuotionen, unter was Praetext es auch seyn moege, von dem Pfarrer eingeführt werden. . . . Desgleichen Bewenden soll es mit den ganz zerfallenen Kirchen und Kapellen haben, als welche ohne unsere gnaedigte Einwilligung nicht wiederum zu repariren.“ &c. *Sammlung Wirtzb. Landesverord.* P. I. pag. 401. num. 25.

§. IV.

*Ecclesiae
filiales dependentes
& independentes.*

Reperiuntur plerumque inter Parochiarum limites Ecclesiae, quae pro gregis parochiani portione extractae fuerunt, *filiales* dictae, quod aliam Ecclesiam antiquiorem & principalem velut matrem recognoscant; suntque vel *dependentes* vel *independentes* ab Ecclesia matrice. Si cuius portio gregis a reliquo coetu Parochiano

chianorum non separetur, neque proprio Sacerdoti, a Pastore Ecclesiae matricis quoad regimen internum independenti subiiciatur, Ecclesia in utilitatem spiritualement huius portionis extracta, filialis dependens erit, econtra independens, si ab Ecclesia matrice avulsa, sacerdoti sacra iure proprio administranti subfit. Unde patet, Ecclesiam filialem independentem reuera parochialem, eiusque sacerdotem Parochum esse, atque eo tantum sensu filialem dici, quod coetus parochianus olim pars fuerit Parochiae matris, e cuius sinu velut nouella plantatio prodiit.

§. V.

Cum ex ipsa rerum natura atque secundum plurimarum Dioceseum ordinationes & obseruantias alia statuenda sint principia, si de filialium dependentium, alia si de independentium refectione sermo sit; & quaestio praecudicialis de qualitate Ecclesiae reficiendae saepe multum dubitationis contineat, hinc a proposito non alienum erit, Ecclesiae parochialis notas hic describere. Regulam autem generalem hanc valere puto: illum esse parochum, qui coetui distincto, intra definitos limites commoranti, Sacramenta & sacra his annexa solus, iure & nomine proprio administrat. Ad duo igitur praecipua capita respiciendum est: 1) an & quatenus sacra cuidam coetui, 2) quo inre & eulus auctoritate a speciali Presbytero administrantur. Cum enim Concilium Tridentinum Episcopis pro tutiori animarum eis commissarum salute praeciperit: „distincto populo in certas propriasque Parochias, vnicuique suum perpetuum peculiaremque Parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, & a quo solo licite sacramenta suscipiant“ a); vicissim recte inferetur, illum sacerdotem esse Parochum proprie sic dictum, qui coetui cuidam distincto solus, exclusis aliis Pastoribus, sacramenta administrat, quocumque demum nomine, sine curatus, vel beneficiatus aut facellanus localis appelletur.

Notas Ecclesiarum parochialium.

a) Concil. Trid. Sess. XXIV, cap. 12, de reform.

§. VI.

§. VI.

Defumitur 1) e qualitate sacrorum.

Concilium Tridentinum loco mox excitato paucis verbis, & formula quâdam generali complectitur, & innuat, quae de Parocho Sacramentorum legitimo ministro in antiquioribus legibus ecclesiasticis sparsim continebantur; quorumcunque enim Sacramentorum administratio in potestate ordinis presbyteralis sita est, illa fidelibus suae curae concreditis dispensandi jus est penes Parochum, cui in regula etiam jus prohibendi competit, ne haec Sacramenta ab alio suscipiantur a); quo praeter Baptismi collationem b), S. Eucharistiae & vñctionis infirmorum Sacramenta pertinent c); praeterea soli Parocho jus competit, communionem paschalem praebendi d), suorum Parochianorum matrimonii assistendi e), eorumque cadavera inhumandi f). Praeter has functiones principales, cum ipsa religione propius connexas, dantur plures aliae, siue iure communi, siue particulari, officio Parochi adhaerentes, velut jus & obligatio catalogos, seu matriculas, ut vocant, baptizatorum, matrimonio iunctorum & defunctorum conficiendi, dies festos, jejunia e cathedra promulgandi, & similia, quae velut adminicula probandae Parochialitatis considerari possunt.

- a) *Conc. Trid. Sess. XXIV. cap. 13. de ref. in verbis: a quo solo licite Sacramenta suscipiant.*
- b) *Pontificale Romanum.*
- c) *Clement. 1. princ. de privileg.*
- d) *Cap. 12. de panit. & remiss.*
- e) *Conc. Trid. Sess. XXIV. cap. 1. de ref. matrim.*
- f) *Cap. 5. 2. de sepult. cap. 2. eod. in 6. Clement. 2. eod. tit.*

§. VII.

Continua.

Notae hucusque enumeratae complexum aliquem iurium constitunt, quae omnia & singula Ecclesiis parochialibus competere solent, sed non ita necessario & essentialiter competere debent, ut non una alterave, salva caeteroquin Ecclesiae independentia & paro-

parochialitate abesse possit. Saepissime enim contingit, ut, cum Ecclesia filialis dependens a matrice separaretur, & iura parochialia propriumque Pastorem obrineret, vnum alterumue iurium parochialium in honorem Ecclesiae matricis, & in perpetuam memoriam & recognitionem antiquae subiectionis & filialitatis matri referuaretur *a*). Notissima est distinctio inter Ecclesias parochiales baptismales & non baptismales; illae, iure baptisterii & baptizandi gaudentes, in legibus ecclesiasticis etiam Plebes, earumque Rectores Plebani vocantur *b*); non baptismales olim filiales dependentes fuerunt, quae Ecclesiae matri suum adhuc seruant honorem, dum illi Catechumenos suos ad obtinendam regenerationem spiritualem praesentant. Aliae Ecclesiae filiales independentes in certis festis solennioribus sacra Ecclesiae matricis frequentare, aliae aliis signis antiquam dependentiam in perpetuum testari & recognoscere tenentur. Hi tamen actus singulares veram Parochialitatem non tollunt, quae potius a complexu iurium parochialium est diiudicanda.

- a*) „Prouidens tamen, ut competens in ea honor, pro facultate loci, matri Ecclesiae seruetur.“ Cap. 3. *de Eccles. aedif.*
- b*) „De decimis iusto ordine non tantum nobis, sed etiam maioribus nostris visum est, Plebibus tantum, ubi sacrosancta Baptismata dantur, debere dari.“ *Cap. 45. 54. C. XXI. qu. 1.*

§. VIII.

Alterum quaestionis caput est, quo iure Presbyter distincto ^{et 2) ex iure Presbyteri sacra adm. ministrantis.} coetu Ecclesiae filialis administret sacra? Quodsi enim in Ecclesia filiali resideat quidem, & Sacramenta omnia administrandi, quaeque praeterea officio parochiali adnexa sunt, peragendi potestatem habeat, sed inspectioni, directioni & curae superiori Pastoris Ecclesiae matricis sit subordinatus; si eundem a sacris in suo coetu administrandis excludere nequeat, ipsius Ecclesia non ut independens & parochialis, ipse non ut Parochus, sed ut Presbyter subsidiarius Pastoris Ecclesiae matricis considerandus erit, qui non suo, sed illius nomine, cunctas officii parochialis partes explet;

B.

22.



atque in hac hypothefi locum habebit illud decretum concilii Tridentini, quod Epifcopis iniungit, vt in omnibus Ecclefiis parochialibus vel baptifmalibus, in quibus populus ita numerosus eft, vt vnus Rector non poffit fufficere ecclefiasticis Sacramentis miniftrandis, & cultui diuino peragendo, cogant Rectores vel alios, ad quos pertinet, fibi tot sacerdotes ad hoc munus adiungere, quot fufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum diuinum celebrandum a). Tales Presbyteri Paftorum vices gerentes non immediate ab Ordinario ad curam animarum deputari, non inueftiri, fed ad verum Parochum dirigi folent. Quodfi vero de dependentia a Paftore Ecclefiæ matricis modo defcripta non conftet, Ecclefiæ filialis inter vere parochiales referenda erit, & quaefiones de eius refectione occurrentes, in regula ex iure communi de refectione Ecclefiarum parochialium decidendæ erunt.

a) Sefl. XXI. cap. 4. de reform.

§. IX.

*Ecclefiæ
fabricæ
quid?*

Quaecunq; bona & redditus Ecclefiæ poffident, hodie vulgo earundem *Fabricæ* nominantur a fine, ad quem potiffimum funt deftinata, & in quem fere omnia impendi folent. Notiffimum eft, prioribus Ecclefiæ faeculis maflam oblationum, dein etiam reddituum ftabilium ad quatuor fines deftinatam fuiffe, nimirum 1) ad Epifcopi & 2) Cleri fuffentationem, 3) ad pauperum folatium, denique 4) ad expenfas in cultum religionis faciendas. Cum vero, erectis beneficiis, fua Epifcopis & Clero inferiori bonorum & reddituum pars iure ftabili & perpetuo assignata, atque fingulorum beneficiis adnexa fuerit; pauperibus, ficubi praeter bona ad Cleri fuffentationem & expenfas pro Ecclefiæ faciendas, quidquam supererat, per erectionem hospitalium fuerit prouifum, omnia bona & redditus, quæ poft hanc maflæ communis partitionem penes Ecclefiæ remanferunt, aut deinceps fuerunt adquireta, earundem Fabricæ dicebantur, eoquod aedificiorum ecclefiasticorum refectione potiffimam partem horum reddituum exhauriret.

§. X.

§. X.

Quamvis vero bona & reditus Ecclesiarum ab aedificiorum refectione, tanquam praecipuo destinationis suae obiecto, nomen fabricae fortita fuerint, *Quid onus fabricae?* Onus tamen fabricae porrigitur etiam ad omnes illas expensas, quae ad cultum diuinum decore instituendum necessariae sunt. Quae igitur ad vasa sacra & vestes, ad luminaria, & cunctam Ecclesiae suppellectilem comparandam, requiruntur, similiter e fabrica Ecclesiae depromenda erunt. Hinc in Clement. 1. de celebrat. Miss. dicitur: „in multis insuper Ecclesiis cum vasis, vestimentis & caeteris ornamentis ad cultum diuinum necessariis, indecentibus vtique, pensatis earum facultatibus, deseruitur;“ quae constitutio expensas in cultum diuinum ex Ecclesiae facultatibus, adque admodum & vires harum facultatum faciendas esse supponit. Unde porro deducitur, obligationem eorum, qui deficientem Ecclesiae fabricam supplere tenentur, non tantum ad refectionem aedificiorum, sed etiam ad alia onera pertinere, quae fabricae incumbunt. In quam rem iam Synodus Metensis can. 2. de clericis decimas percipientibus, ideoque ad sustinendum onus deficientis fabricae obligatis, statuit: „qui decimas percipit, eas accipiat in sui sustentationem, & ad luminaria concinnanda, & Basilicae aedificia, vestimenta quoque sacerdotalia, & coetera vtiensilia suo ministerio congrua abrinenda a).

a) Cit. apud V. ESPEN J. E. P. II. tit. 17. cap. 5. n. 30.

§. XI.

Cum controuersis onus fabricae concernentibus connexae esse solent quaestiones de eiusdem dominio, de quo varias variorum sententias primam enarrabo, illisque meam opinionem subiiciam. Quidam bona ecclesiastica in speciali Dei dominio esse asseruerunt, metaphoricis verborum formulas ad stabiliendam opinionem suam e S. Scriptura afferentes; verum sine iniuria Dei rerum omnium Creatoris & Domini cogitari vix poterit, a piis fidelibus ius, disponendi de ipsa rerum substantia, quod per dominium

minium intelligitur, in supremum Numen translatum fuisse, illaque iuri eminenti & dominio alto Reipublicae subesse, cui bona Ecclesiarum temporalia sine dubio subiecta sunt.

Alij omnia bona ecclesiastica velut massam aliquam considerant, cuius dominium esset penes Ecclesiam vniuersam, vsusfructus vero singularum particularum, penes Ecclesias singulas, a quibus bona fuerunt aduista. Nescio, quid huic opinioni ansam dederit, nisi forsan nata sit ex conceptu vnitatis Ecclesiae, aut ex illa communione bonorum, quae aeuo apostolico in Ecclesia Hierosolymitana aliquamdiu viguit, nec in illo coetu vniuersalis fuisse videtur a). Huic tamen opinioni, in qua refellenda superfluum operam collocarem, summi Pontifices non obscure fauebant; vsu enim loquendi per ipsos introducto Ecclesia catholica & Romana fere pro synonymis accipiebantur, vt, si dominium bonorum tribueretur Ecclesiae, penes Romanam esse videretur, eiusque Praefuli competere; praetensi huius domini omnium bonorum ecclesiasticorum vestigia reperiuntur in cap. 2. *de praebendis* in VI.; neque alia prudens ratio reddi potest, cur Camera summi Pontificis, quam apostolicam vocant, secundum constitutiones a Paulo III. & Pio V. innouatas, sibi omnium clericorum decedentium bona e redditibus ecclesiasticis aduista vindicare velit b). Vtut vero principium illud de dominio vniuersali Ecclesiae Romanae fere vbique antiquatum sit, nihilominus summi Pontifices, sibi ubi occasio praebetur, illi hodie adhuc inhaerent, prout exempla nouissima ostendant c).

a) „Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate?“ AA. V. 4.

b) In septimo decretalium PETRI MATHAEI Lib. III. tit. 3.

c) Vid. Bulla suppressionis trium monasteriorum Mogunt. in LE BRETS *Magazin* Tom. IX. pag. 435. Et Breue decimationis Electori Palatino A. 1727. concessum in libello: *Erage, ill der Pabst besagt, ohne Einwilligung der Bischöfe die Erlaubniß zu ertheilen* &c. pag. 39.

§. XII.

Aliam opinionem singularem intuitu domini bonorum ecclesiasticorum adoptarunt Status Imperii catholici in tractatibus pacis Osnabrugensis; cum enim Protestantes iasserent, abrogandum esse reservatum ecclesiasticum, vi cuius clerici catholici ad sacra Protestantium transeuntibus omnibus iuribus & redditibus ecclesiasticis excidebant, Catholici, se in hanc abrogationem consentire non posse, declararunt, inter alias rationes etiam hanc in medium afferentes: „Zudem so seynd vermoege geist- und weltlicher Rechten weder Bischof noch Kapitel proprietarii Domini iurium Ecclesiae, sondern nur allein nudi procuratores, siue administratores, koennen auch vniuerso ecclesiastico Ordini patris priuatis nichts begeben, vnoque contradicente seruat ius toti Ordini“ a); quibus verbis innuere videntur, vniuersum clericorum per Ecclesiam dispersorum ordinem tanquam personam moralem considerandum esse, eamque esse subiectum, penes quod dominium bonorum & iurium ecclesiasticorum residet. Vtrum Catholicorum animi hac opinione reuera imbuti fuerint, an vero ex rationibus politicis eam in medium attulerint, vt consilium Protestantium, quo res Catholicorum in Germania in summum discrimen adducebantur, declinarent, aliis diiudicandum relinquo.

recensentur.

a) MATERN ADA P. W. T. II. pag. 540.

§. XIII.

Ego quidem nullam video solidam rationem, ex qua eninci-
 possit, dominium bonorum ecclesiasticorum penes totum Clerico-
 rum Ordinem esse; repugnant enim huic opinioni 1) oblatio-
 num & fundationum tabulae, e quibus, quamuis plurimae typis
 excusae proferunt, nullibi quidquam de illo domini subiecto ex-
 sculpi potest; sed aperte satis omnes loquuntur, fundatores vel
 ad erigendam Ecclesiam, vel Ecclesiae particulari iam erectae,
 eiusdem sanctis tutelaribus, vel collegio Clericorum, Ecclesiam
 parti-

& refa-
 tantur;

particularem constituentium, bona sua & iura conferre voluisse; contra de abdicatione dominii in fauorem totius Ordinis Clericorum, e nullo piorum fundatorum facto constat. Praeterea 2) honorum temporalium adquisitio, dominium & iura adnexa, vtendi, fruendi, de ipsa rerum substantia disponendi, supponunt, acquirenti & Domino communionem iurium ciuiliū in Republica tributam fuisse, sine qua neque in Clericos singulos, neque in Clericorum collegia bona & iura temporalia transferri possent, neque ab illis adquiri. Iam vero totus venerabilium Clericorum Ordo non in vna aliqua Ciuitate existit, sed per plures Respublicas a se se independentes est diffusus, nec cogitatione assequi licet, a quonam imperio ciuili vnus personae moralis iura in eum deriuari possint; cuiuslibet Clero nationali ab Imperante in Republica iura collegii ciuilis, bonorum acquirendorum & possidendorum capacis, tribui posse facile largior; verum de collegio ciuili ex vniuerso Clericorum Ordine consistente aequae vanam, & de re non existente disputationem esse puto, ac si de nexu Ecclesiae catholicae cum Republica quaeratur.

§. XIV.

probabilior opinio
affertur.

Probabilior est illorum opinio, qui dominium iurium & bonorum ecclesiasticorum cuiuslibet Ecclesiae particulari tribuunt, ad quam fuerunt translata. In Ecclesias enim particulares bona transferri, & ab ipsis adquiri posse, iure ciuili Romano iam constitutum fuit, cum Ecclesia in Imperio esset recepta a). Frequentissimae sunt vtriusque iuris, canonici & ciuilis, constitutiones, in quibus de iuribus & bonis ad Ecclesias pertinentibus agitur, vbi de eorum administratione, vsu, dispensatione, alienatione & similibus negotiis sermo est. Verum etiam haec opinio suis rursus difficultatibus premitur; quid enim Ecclesiae particularis nomine veniat, non vbiq; ita facile innoscit. Cum in concilio Lateranensi constitutum fuisset, bona a Clericis per Ecclesias adquisita, post eorum obitum penes easdem

re-

remanere debere b), Alexandro III. quaestio proponebatur, quis Ecclesiae nomine intelligendus sit? respondit quidem Pontifex, non solum Episcopum, neque solum defuncti successorem, si defunctus membrum collegii ecclesiastici fuerit, sed integrum collegium nomine Ecclesiae intelligi, illudque bonorum ecclesiasticorum a defuncto relictorum canonicam distributionem & curam habere debere. Si vero defunctus cum aliis integrum collegium non constituerit, sed vnus in eius locum sit ordinandus, huic illa bona, sicut & alia ipsius Ecclesiae, dispensandi ius esse. Verum haec decisio propositae quaestionis nodum non videtur explicare; constitutum enim fuerat, bona ecclesiastica decedentis penes Ecclesiam remanere debere, quod de subiecto domini intelligendum est; Pontifex autem expositurus, quid Ecclesiae nomine veniat, vbique tantum de iis loquitur, quibus bonorum relictorum vsus, & ius ea dispensandi competit c), & quamuis defuncti successor in beneficio singulari idem ius tribuat, nihilominus eundem Ecclesiae rursus opponit, cum praecipit, vt defuncti bona, sicut & alia ipsius Ecclesiae, dispense-

a) L. 1, 23, §. 1. C. de Sstis Eccles.

b) A. 1179. relat, cap. 7. de testamentis.

c) „Nomine autem Ecclesiae, non solum Episcopus, vel successor clerici morientis, vbi est collegium clericorum, sed communitas congregatio intelligitur, quae rerum illarum debet canonicam distributionem & curam habere. Vbi autem in loco defuncti tantum est vnus ordinandus, is ea bona, sicut & alia ipsius Ecclesiae, in Dei timore dispense.“ Cap. 12. de testament.

§. XV.

Ad definiendam igitur hanc quaestionem discernendum esse ^{et stabili-} putó, an coetus aliquis, siue clericorum, siue e clericis & laicis mixtus, Ecclesiam constituat, cui bona competere possint, an vero eiusmodi coetus cogitari nequeat? In prima hypothesi, coetum illum iurium & bonorum dominum dici, nil prohibet, potissimum si mere ecclesiasticus sit, cui ius vtendi, fruendi, alienandi, aut quouis alio modo, lege non prohibito, de bonis dispo-



disponendi competit; cuiusmodi coetus sunt Canonicorum collegia, quorum intuitu etiam conspirant piarum foundationum & donationum formulae, per quas iura & praedia in fratres in hisce Ecclesiis Deo famulantes transferuntur. In his igitur collegiis titulum, modum acquirendi & effectus domini deprehendere licet, quae sane ad dominium collegiis ecclesiasticis, aequè ut in simili casu politicis,tribuendum sufficiunt. At si de subiecto domini honorum mensae episcopalis, aut Ecclesiae parochialis quaestio sit, iam plus dubii occurrit; si enim in hac hypothesi Ecclesiae particulari dominium tribuatur, dicendum erit, bona mensae episcopalis esse in dominio clericorum & laicorum, qui cum Episcopo Ecclesiam dioecesanam constituunt, bona parochialia vero in dominio illius coetus, cui praest Presbyter ad curam animarum deputatus; cum qua determinatione subiecti vtitata quidem denominatio, der Hochstifts-Güter, der Pfarrey-Güter concordat, sed de titulo, de modo acquirendi & de effectibus domini, penes vniuersum coetum dioecesanum aut parochialem residentis, non ita liquido constat.

S. XVI.

*Continua.
sis.*

Si quando nullus reperiatur coetus, ad quem dominium pertinere possit, bona illa ad certum finem destinata velut personae fictas consideranda esse puto, quae communiōe iurium ciuiliū fruuntur, quarumque iura per curatores exercentur. Quodsi enim finis cuiusdam foundationis vel lege publica, vel cum consensu speciali Imperantis probatus fuerit, vi huius adprobationis ipsi, prout ciuibus, securitas publica praestatur, & quaedam iurium ciuiliū communiō tribuitur; ita, vt per curatores non tantum contra omnem laesionem defendi debeat, sed eiusdem nomine etiam negotia ciuilia iniri possint, eique facultas praebetur, nona iura & bona acquirendi, se aliis, alios sibi obligandi. Ponamus, vt opinionem propositam exemplis illustrem, hospitale pro ciuibus leprosis aut epilepticis fundatum esse, tales autem modo non amplius in Republica dari; in

in hac hypothefi nulla quidem perfona phyfica feu morafis erit, cui dominium privatim iurium & bonorum, fundationem confluentium, iufte tribui poffit; nihilominus fundatio communione iurium ciuiliam, modo ante expofito, uti perget, fuamque in Republica existentiam continuabit, donec adprobatio finis eadem auctoritate, qua conceffa fuit, reuocetur, atque per hanc reuocationem iura ftatus ciuilis, feu perfonae, per adprobationem tributa tollantur. Plura exempla facili negotio reperire licebit, fi fundationes ftipendiorum, bona beneficiorum fingularium, fundationem item imperfectam pro Parochia erigenda, cuius finis nondum attingi potefl, consideremus; ad quam claffem etiam refero bona illarum Ecclefiarum, quibus neque clericis, neque fidelium coetus eft adfcriptus, quae, licet intra cuiusdam Parochiae limites ftatae fint, ob finem tamen, a fine Ecclefiiae parochialis diuerfum, extractae fuerunt, & separatas ab illa rationes habent.

§. XVII.

Cum bona, quae fabrica Ecclefiiae parochialis nominari folent, plurimis oneribus fint obnoxia (§. X.), ea conferuari, imo, fi res Ecclefiiae nimis anguffae fint, etiam augeri, diligenter ad-
Cura fabricae quid fit, & quotumplex?
 ministrari, & ad fines deftinatos difpenfari interefl; in complexu horum officiorum *Cura fabricae* confiflit, quae prout vel clericis, vel laicis incumbit, vel *ecclefiastica*, vel *faecularis* eft; vtraque rurfus vel *superior*, vel *subordinata*. *Superior* adminiftrationem & difpenfationem rerum Ecclefiiae temporalium legibus dirigit, & in earum obferuantiam innigilat; *subordinata* eft, quam actuales fabricae adminiftratores gerunt.

§. XVIII.

Cura ecclefiastica superior in ipfa natura muneris epifcopalis continetur; cum enim finis religionis fine eiusdem cultu & neceffariis ministris nequeat obtineri; cum ad religionem decore
Ecclefiastica: ca: superior ad Epifcopum pertinet 1) iura can.
 C.

colendam, & ministrorum sustentationem porro requirantur subsidia temporalia, hinc cura superior bonorum ecclesiasticorum Episcopis semper iniuncta fuit; in hunc finem concilium generale Chalcedone A. 451 celebratum can. 26. iam statuit: „placuit omnem Ecclesiam habentem Episcopum, habere oeconomum de Clero proprio, qui dispenset res ecclesiasticas secundum sententiam proprii Episcopi“; id quod concilium Gangrense iam ante can. 7. definiuerat. Facta bonorum separatione, & portione sua singulis Ecclesiis assignata, cura illa superior in Ecclesia vniuersa a), & in Germanica penes Episcopos remansit, prout capitularia Regum Francorum ostendunt, in quibus statuitur: „placuit, vt Episcopi rerum ecclesiasticarum in omnibus iuxta sacrorum canonum sanctiones plenam semper habeant potestatem.“ Alibi: „placuit, vt omnes Ecclesiae cum dotibus, & omnibus rebus suis in Episcopi proprii potestate consistant, atque ad ordinationem vel dispositionem suam semper pertineant.“ Rursus de Ecclesiis parochialibus in specie definiunt: „de his, quae Parochiis in terris, vineis, mancipiis atque peculis quicunque fideles obtulerint, antiquorum canonum statuta seruentur, & omnia in Episcopi potestate consistant“ b). Plurimas alias constitutiones ecclesiasticas huc pertinentes refert GRATIANVS C X. qu. 1. quam inscribit: an Basilica cum omni dote sua ad Episcopi ordinationem pertineat? Nouissime concilium Tridentinum non tantum piorum locorum c), sed etiam bonorum ecclesiasticorum curam Episcopis denuo commendat, eorumque ius hisce stabilis: „administratores tam ecclesiastici, quam laici, fabricae cuiusvis Ecclesiae, etiam cathedralis, hospitalis, confraternitatis . . . & quorumcunque piorum locorum, singulis annis teneantur reddere rationem administrationis Ordinario, consuetudinibus & priuilegiis quibuscunque in contrarium sublatis“ d); atque rursus, dum bonorum stabilium, seu fabricarum prouentibus immisceant, nisi quatenus id eis ex institutione ac fundatione competit, adiungit: „sed Episcopi ipsi haec faciant, & fabricarum redditus in vltus
Eccle-

Ecclesiae necessarios & vtilis, prout sibi expedire magis visum fuerit, expendi curent e).

- a) TROMASSINI V. & N. F. D. P. III. Lib. II. cap. 3. sequ.
 b) Apud BALVZIVM T. I. pag. 527, 529, 1205.
 c) Sess. XXII. cap. 8. *de ref.*
 d) Sess. XXII. cap. 9. *de ref.*
 e) Sess. XXIV. cap. 3. in fine *de ref.*

§. XIX.

Non tantum leges ecclesiasticae, sed etiam civiles superiorem & a) civi-
 illam in bona ecclesiastica inspectionem, administrationem & u)
 dispensationem Episcopis tribuerunt, quamprimum Ecclesia christiana
 in Ciuitate recepta fuit, prout plurimae leges tum in Codice Iustiniano a),
 tum e capitularibus Regum Francorum iam recitatae ostendunt.

- a) L. 28. 42. §. 5. & 7. L. 46. 49. Cod. de Episcopis & Cler. Non. 123.
 cap. 23.

§. XX.

Cum pars curae superioris in eo consistat, vt in illos fines porrigitur
 erogentur reditus fabricae, ad quos destinata est, iam ex eo per- ad aedifi-
 spicitur, curam episcopalem etiam ad aedificia ecclesiastica, co- cia eccles.
 runque, si collapsa sint, aut ruinam minentur, refectionem spe-
 ctare; quod officium speciale non tantum leges ecclesiasticae an-
 tiquae Episcopis iniungunt, sed concilium Tridentinum saepius
 inculcat, dum praecipit: „locorum Ordinarii Ecclesias quascun-
 que, quomodolibet exentas, auctoritate apostolica singulis annis
 visitare teneantur, & oportunis iuris remediis providere, vt,
 quae reparatiue indigent, reparentur a); rarsusque intuitu do-
 muum regularium & beneficiorum tam curatorum, quam simpli-
 cium, saecularium & regularium mandat: „curentque iidem
 Episcopi congruentibus remediis, etiam per sequestrationem fru-
 ctuum,

Etiam, ut, quae renovatione indigent, aut restauratione, reficiantur“ b); fimiliter Episcopis iniungit: „parochiales Ecclesias, etiam si iuris Patronatus sint, ita collapsas refici & instaurari procurent ex fructibus & prouentibus quibuscumque, ad easdem Ecclesias quomodocumque pertinentibus“ cet. c).

a) Sess. VII, cap. 8. de ref.

b) Sess. XXI, cap. 8. de ref.

c) Sess. XXI, cap. 7. de ref.

§. XXI.

*Cura superior
saccularis
pertinet ad
Imperantes
in Re-
pub.*

Quamuis vero cura fabricae Episcopis iure proprio & praecipuo incumbat, ea nihilominus curam Imperantis in Republica, in ordine suo summam, non excludit, eoquod iura & bona temporalia, ob finem, cui inseruiunt, naturam suam non exuant, nec in eminenti Reipublicae subtrahantur, sed in priuato tantum Ecclesiarum dominio sint, quae intuitu temporalium iuribus ciuium vtuntur. Sicut igitur Imperanti suprema inspectio in bona ciuium, & ius competit, eorum vsum legibus dirigendi, quia interest Reipublicae, quo modo quisque re sua vtatur, ita & intuitu bonorum ecclesiasticorum, potissimum parochialium, summum imperium iuste se exeret, eoquod fabricae onera in subsidium ab ipso Parochianorum coetu ferenda essent, vt igitur subditorum indemnitati consulatur, Imperans iure suo in administrationem & vsum prouentuum parochialium inuigilabit.

§. XXII.

Continuatio.

Principes christianos hac potestate nunquam non vfos fuisse, leges ab ipsis laeae demonstrant, quales plurimae in codice Iustiniano reperiuntur, quae alienationibus bonorum ecclesiasticorum modum ponunt, & certam negotiis ciuilibus ad alienationem tendentibus formam praescribunt; Oeconomis ea petere iniungunt, quae Ecclesiis fuerunt relicta, eosque ad rationes gestae administrationis reddendas obstringunt a). Praeternitto ea, quae
in

in capitularibus Regum Francorum in hanc rem occurrunt; ipsos etiam Imperii status fabricarum curam habuisse, ostendit Ordinatio Politiae de A. 1577, in qua constitutum fuit: „und die weil mit der Kirchen Renten, Gefaellen und Gütern, zu Zeiten auch gefaehrlicher und betrüglicher Weise, durch die Pfleger gehandelt würdet, so wollen wir den Obrigkeiten, denen solches gebührt, hiemit auch befohlen haben, das sie gleicher Gestalt auch Einsehens thun, und verfügen, das die Kirchenpfleger und Fürsther mit Eyden und Gelübden beladen werden, der Kirchen getreulich fürzufeyn, und jaehrlich Rechnung zu thun“ *b*). Similiter constitutione Herbipolensi cautum est: „so viel aber die jaehrliche, auf gewisse Zeit bestimmte Abhoerung der Rechnungen der Gotteshaeuser angehet, befehlen seine Hochf. Gnaden, das fürökin nicht allein die jaehrlichen Gotteshaus-Pfleger von beyden geist- und weltlichen Beamten angenommen, sondern auch die Direction der Verwaltung der Gotteshaus-Gefaele geführt, der Termin zu Abhoerung der Rechnung auf einen von beyder Seits beliebigen Tag angefetzt werde“ *rel. c*).

- a) L. 17. 21. 25. 26. C. de Sstis Ecclesiis. L. 42. §. 3. C. de Episcopis & cler.
- b) Tit. 32. §. 4. Neue Sammlung der R. A. P. III. pi 395.
- c) Sammlung der Wirzb. Landesverord. P. I. pag. 344.

§. XXIII.

Cura subordinata & immediata fabricae exercetur per illos, qui ad normam ab Episcopo vel Domino territoriali praescriptam ad hoc munus constituti sunt, quorum iura & obligationes, si nihil lege speciali cautum fuerit, in regula ex iis aestimanda sunt, quae ius civile de curatore minoris praescripsit; Ecclesiae enim minoribus *a*), fabricae administratores curatoribus equiparantur *b*); sed variae sunt variarum Dioecesium leges & consuetudines speciales circa curatorum fabricae constitutionem & officium, ea paucis attingam, quae legibus dioecesanis Herbipolensibus determinata fuerunt. His vero cautum est: 1) viros probos

Cura subordinata est penes administratores.



bos & idoneos coram Parocho & magistratu saeculari in curatores eligendos, & fide data utriusque obstringendos esse. 2) Pecuniam & documenta in cista, tribus diuersis feris instructa, custodiri, vnamque clauium a Parocho, alteram a magistratu saeculari, tertiam a curatoribus teneri debere. 3) Singulis annis a curatoribus gestae administrationis rationes coram Parocho in eius aedibus, & coram magistratu saeculari reddendas esse; deum prohibent 4), ne curatores absque praesentia regiminis ecclesiastici, multo minus non requisito prius Parochi & magistratus saecularis consensu, quidquam in ornamenta & refectionem Ecclesiae erogent e). Alia constitutio dioecesana Decanis ruralibus iniungit, vt in annuis visitationibus Parochiarum curae suae commissarum inuigilent, ne, quod de rationibus reddendis salubriter constitutum fuit, negligatur, neue Ecclesiae parochialis curatorem, qui, quod in retribus deest, non soluerit, ab officio discedere permittant d).

a) „Cum Ecclesia iure minoris debeat semper illaesa seruari,“ cap. 1. de in liti sag. vssit. „Nos attendentes, quod vtraque Ecclesia fungatur iure minoris.“ cap. 3. eod. tit.

b) Clement. 2. de relig. domibus.

c) Kirchenordnung de A. 1693, in der Sammlung der Wirzb. Landesverord., P. I, pag. 448, seq.

d) Ibid. pag. 395. num. 2.

CAPVT II.

DE HIS, QVI AD REFECTIONEM ECCLESIARVM PARO-
CHIALIVM TENENTVR.

§. XXIV.

Quamprimum christianis publicum suae religionis exercitium in Imperio romano concessum fuit, bona ecclesiastica in templorum extructionem & refectionem expendi coeperunt. Cum enim cultus religionis ab integris coetibus decore institui non possit, nisi in loco ad celebrandos conuentus apto; cumque religioni maior reuerentia concilietur, si locus sacrorum ab omni vsu profano sit immunis, & vix non omnes cultae Nationes in ysum templorum confenserint, nihil magis aequum videri debuit, quam ea, quae ad religionem colendam a fidelibus conferebantur, etiam in templorum extructionem & refectionem impendi; id quod vsu primum introductum fuit, & in scriptis dein legibus velut nota supponitur a): Neque romani Pontifices Simplicius, Gelasius & Gregorius M., quorum praecepta in decreto Gratiani occurrunt, quidquam noui de hac re statuerunt, sed fere vbique ad regulam praescis temporibus iam obseruatam prouocant, & Episcopos deuantes ad eam reuocare conantur b).

Iure antiquo I. Ecclesiae e suis redditibus reficiendae sunt;

a) L. 42. §. 7. Cod. de Episcopis & cler.

b) „Reditus & oblationes in quatuor partes diuidat, . . . fabricis tertiam . . . habeat fideliter erogandam.“ — „Quatuor tam de redditu, quam de oblatione fidelium; prout cuiuslibet Ecclesiae facultas admittit, sicut dudum est rationabiliter decretum, conuenit fieri portiones, quarum sit vna Pontificis, . . . quarta fabricis applicanda.“ Can. 25 — 30. C. XII. q. 2.

§. XXV.

Iuri huic antiquo, etiam post massae communis diuisionem nunquam non in Ecclesia obseruato, inhaeret concilium Tridentinum, dum statuit: (Episcopi) „parochiales Ecclesias refici & instaurari procurent ex fructibus & prouentibus quibuscunque, ad

cui conc. Trident. inhaeret.

ad easdem Ecclesias quomodocunque pertinentibus“ a). I. *Reditus fabricae* igitur ad refectionem Ecclesiae parochialis impendendi sunt. Cum ad hanc constitutionem concilii Tridentini tanquam ad ius nouissimum saepissime prouocari soleat, non inutile erit, eandem quibusdam obseruationibus illustrare, quibus ipsa verba constitutionis ansam praebent, circa quorum usum & interpretationem dubia emergere possunt, eoquod constitutionis formula in quibusdam deficere, in aliis abundare videatur; nullam enim *bonorum & iurium* Ecclesiae parochialis mentionem facit, e contra de fructibus & prouentibus *quibuscumque*, ad Ecclesias parochiales *quomodocunque* pertinentibus loquitur. Quid de utroque obiecto censendum sit, paucis exponam.

a) Sess. XXI. cap. 7. de ref.

§. XXVI.

Reditus & bona Ecclesiarum parochialium sine dote vel dotatiam, vel aduentitiam.

Si origo iurium & bonorum ad Ecclesias parochiales pertinentium consideretur, alia sunt *bona dotalia*, alia *aduentitia*. Nulla Ecclesia sine dote sufficiente extrui & consecrari potest, eoquod Ecclesiae tanquam medium ad obtinendum finem, nimirum ad religionem commode & decore colendam, adhibeantur; cultus religionis vero quasdam expensas requirat, de quibus per dotem congruam, seu ferendis his expensis sufficientem prouisum esse debet; id quod tum rei naturae conuenit, tum iure communi cautum est a). Quae vero Ecclesiis iam extructis & dotatis conferuntur bona & iura, aut ex redditibus bonorum dotalium, qui deductis expensis necessariis forte superfluent, ulterius comparantur, aduentitia nominari solent.

a) „Nemo Ecclesiam aedificet, antequam Episcopus ciuitatis veniat, . . . & antequam praeficiat, quae ad luminaria, & ad custodiam & ad stipendia custodum sufficientiant; & ostensa donatione sic domum aedificet.“ Can. 9. Dist. 1. *de consecr.*
„Cum non sit Ecclesia, nisi de dote prouisum ei fuerit, consecranda.“ cap. 8. *de consecr. Ecclesiarum.*

§. XXVII.

Porro a fine, ad quem bona Ecclesiarum parochialium destinata sunt, alia communia, alia particularia vocantur. Communia sunt, quae in quascunque necessitates Ecclesiae possunt erogari; particularia e contra, quae determinatis vñibus inferuire debent. Discrimen inter utramque speciem occurrens desumptum est ex lege foundationis; quod si enim ab iis, qui bona temporalia in Ecclesias transferunt, non speciatim determinetur, in quem finem sint impendenda, ad quamcunque utilitatem & necessitatem Ecclesiae promiscuae adhiberi poterunt; aliter vero res se habet, si per legem foundationis determinetur, cui vsui speciali inferuire debeant. Bona dotalia Ecclesiarum, natura sua ad communia pertinent, quia per constitutionem dotis non vni alterius Ecclesiae necessitati, sed omnibus expensis, quae ad religionem colendam pertinent, providendum est. Reditus Ecclesiarum parochialium similiter in dotales & adventitios, in communes & particulares, pro ut ex vna vel altera bonorum specie proveniunt, diuidi posse, in aprico est.

§. XXVIII.

Praemissis his bonorum & reddituum diuisionibus, ad interpretationem decreti concilii Tridentini progredior; quamuis vero concilium verbis amplissimis redditus & prouentus quoscunque, ad Ecclesias parochiales quomodocunque pertinentes, in earum restorationem impendi velle videatur, ex hac tamen classe imprimis

A) illos redditus communes eximere oportebit, qui ad expensas, in cultum religionis faciendas, necessarii sunt. Nam Ecclesiae materiales ideo tantum extruuntur, vt cultui religionis inferuiant; vnde perspicitur, expensas in cultum religionis immediate faciendas magis vrgere, quam refectionem Ecclesiae, & si vtrique necessitati satisfieri nequeat, maioris potius, & cum fine propius connexae, quam minoris, & longius a fine remotae rationem habendam esse. Quod si omnes redditus in refectionem Ec-

D

cle-

clesiae impendantur, Ecclesia ipsa in eum statum redigetur, a quo initium sumere non potuisset; si vero prima extractio permixta non sit, nulla iusta ratio reperietur, ob quam in similibus rerum adiunctis ad eiusdem refectionem procedi possit. Ex his igitur recte colligi puto, eos tantum redditus communes per constitutionem Tridentinam intelligi, qui praeter expensas in cultum religionis necessario faciendas supersunt.

§. XXIX.

*Reditus
partic. in
regula im-
pendi ne-
quunt.*

A reatibus ad refectionem Ecclesiae parochialis impendendis porro excipiendi sunt

B) reatibus e bonis particularibus prouenientes; eoquod 1) adquisitio bonorum particularium contractu bilaterali nitatur, vi cuius bona mobilia, vel immobilia, vel iura frugifera ea lege in Ecclesias transferuntur, vt ipsa quidquam ex eorum prouentibus praestet. Vix vna Ecclesia parochialis, nisi forsan neophyta, reperietur, quae non bona particularia pro anniuersariis, aut certis precibus persoluendis, pro alendo lumine perpetuo, aut alio simili onere suscipiendo, adquisierit. Si igitur fundacioni specialis lex scripta fuerit, atque Ecclesia bona vel iura sub hac lege acceptauerit, iam ipso iure naturali tenebitur, bonorum istorum prouentus non in alios vsus, quam in determinatos per legem fundacionis, impendere. Neque etiam 2) prudenter iudicari potest, fundatores haec bona particularia ad Ecclesias parochiales transferre voluisse in fauorem eorum, qui onera deficientis fabricae in se suscipere tenentur, id quod tamen reuera fieret, si constitutio Tridentina amplissimam illam, quam formula verborum exigere videtur, admitteret interpretationem.

§. XXX.

Constitutio.

Hinc porro 3) iure communi cautum est, ne ex iis, quae ad finem particularem legata fuerunt, quarta episcopalis decerpatur a); quamuis caeteroquin, ex antiqua bonorum ecclesiastico-

ficorum diuisione, haec quarta locum haberet intuitu eorum, quae per Ecclesiam adquirebantur b). Cum vero prorsus par sit ratio quartae, in usum fabricae impendendae, inde colligitur, relicta pia ad finem particularem, nec integra, nec ex parte, fabricae esse addicenda. Argumentis hucusque allatis accedit 4) lex prohibitiua expressa, quae oblata a fidelibus ad certum usum, ad alium impendi vetat c). Tantum vero abest, ut concilium Tridentinum perpetuae huic Ecclesiae disciplinae, in iure naturali fundatae, per formulam illam generalem derogare voluerit, ut potius 5) regulam: adimplendas esse, quantum fieri potest, piorum fundatorum voluntates, inculcare non desinat, & Episcopos continuo hortetur, ut inuigilent, ne fundaciones debitis fraudentur obsequiis, neue piae voluntates pereant d); ideoque etiam, quando permittit vltimas voluntates commutari, onera fundacionibus adnexa, quantum circumstantiae id sinunt, praeflari praecipit e).

a) „De his, quae in ornamentis, vel pro eis, seu fabricis, luminaribus, anniversario . . . siue aliis, ad perpetuam cultum diuinum legantur Ecclesiis, vel reliquis piis locis, canonica portio, dummodo in fraudem non fiat, ut ea Episcopus seu parochialis Ecclesia debeat defraudari, deduci non debet.“ cap. 20. de testamentis.

b) Cap. 14. & 15. de testament.

c) „Cum tamen ea, quae ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium conuerti.“ Clement. 2. pr. de relig. donatib.

d) Sess. XXV. cap. 4. & 9. de Ref. & in decreto de purgatorio.

e) Sess. XXV. cap. 4 & 8. de Ref.

§. XXXI.

Quamuis hucusque contenderim, reditus particulares ad refectionem Ecclesiarum parochialium expendi non posse, me tamen non monente, quilibet facile intelliget, argumenta in medium allata tum demum stringere, si de reditibus ad implendam legem fundacionis necessariis sermo sit; quae vero, praestito onere fundacionis, singulis annis supersunt, in lucram fabricae cedere, consequenter ad bona communia pertinere, quae ad quamcunque Ecclesiae parochialis necessitatem adhibere

D 2
licet,

*Exceptio
a regula.*

licet. Si igitur vel lege dioecesana, vel per consuetudinem introductum sit, prout in Dioecesi Herbipolensi obseruatur, vt fundationes ad finem particularem non acceptentur, nisi pars tertia, vel quarta reddituum annuorum, pro suscipiendo periculo fortis fabricae Ecclesiae parochialis cedat, haec quota reddituum nullo amplius onere affecta ad bona communia pertinebit, proin ad refectionem Ecclesiae parochialis expendi poterit.]

§. XXXII.

Quando
bona dota-
tia ad res
impendero
licent?

Saepius allegata constitutio Concilii Tridentini tantum de redditibus & prouentibus ad Ecclesias parochiales pertinentibus loquitur, atque hos ad earum restorationem expendi praecipit, de ipsis vero bonis & iuribus altum silet, vt horum alienationem in data hypothesi tacite prohibere videatur; imo deficientibus fabricae prouentibus, & illis, qui in eius subsidium tenentur, oneri ferendo imparibus, Ecclesias parochiales ad matrices, seu alias viciniore Parochias transferri velit *a*). Verum id quidem in regula obtinere puto, non tamen eam fuisse mentem Patrum concilii, vt exceptioni ne sub certis quidem rerum adiunctis locum dare uoluerint. Quidsi dotis prouentus ad Ecclesiae dirutae restorationem non sufficiant, sed illa nihilominus tam ampla sit, vt eiusdem pars, saluis redditibus ad cultum religionis necessariis alienari possit? Cum alienatio honorum ecclesiasticorum ex causa necessitatis iure communi probetur *b*), & haec dispositio per concilium Tridentinum non fuerit expresse abrogata, summum etiam Ecclesiae parochiales fauorem mercantur, in data hypothesi iuste ad alienationem deueniri posse arbitror, quam etiam BENEDICTVS XIV. velut remedium extraordinarium suggerit *c*).

a) Sess. XXI. cap. 7. de ref.]

b) Can. 51. 53. C. XII, qu. 2, cap. 1. de pignor. Clement, 1. de rebus Eccles. non alien.

c) Institut. C. num. 17.

§. XXXIII.

Similiter bona particularia, ad finem determinatum in Ecclesiis translata, in regula ad alium finem impendi nequeunt; iustae tamen dantur causae commutationis vltimarum voluntatum & piarum fundationum ab ipso concilio Tridentino probatae. Causas illas omnes & singulas enumerari non posse, concilium agnuit, cum lege generali ediceret: commutationes ab Episcopis, non nisi ex iusta & necessaria causa fieri debere a); cumque idem concilium Episcopis permittat, Ecclesiis parochialibus tenuibus beneficia simplicia vnire b), quae vnio commutationis species est, quidni etiam bonorum particularium innouatio fieri possit? Duplicem piorum fundatorum voluntatem distinguere oportet, alteram generalem, particularem alteram; intentio generalis in eo sita est, quod bonum religionis, vel animae suae salutem promouere velint; particularis se exercit circa modum, per quem finis ille facilius, &, quantum possibile est, plenius & securius obtinetur; modus itaque ex intentione fundatorum rationem medii ad finem habet, & quo magis ad finem conducit, eo magis voluntati generali congruere videtur. Quamuis igitur fundatio pia, ex. gr. ad anniuersarium, aliasue statas preces persoluendas, lege foundationis destinata sit, in his tamen rerum adiunctis, de quibus loquor, prudenter praesumendum erit, fundatorem, si ipsius aeuo iam extitissent, voluntatem suam circa modum obtinendi finem sibi propositum aliter determinatum, & maioris boni rationem habiturum fuisse; quod vero ille in vivis exentus per commutationem vsus praescripti efficere nequit, ex causa necessitatis & maioris vtilitatis Ecclesiae, interueniente Episcopi auctoritate fieri poterit.

a) Scil. XXII. cap. 6. de reform.

b) Scil. XXIV. cap. 13. de reform.

§. XXXIV.

*Decretum
conc. Trid.
exponitur.*

Vt paucis complectar ea, quae hucusque disputari, constitutionem concilii Tridentini ita interpretandam esse puto: ut in regula 1) fructus & proventus tantum, iique 2) communes, & 3) quicumque, siue in numerata pecunia, siue in fructibus naturalibus consistant, siue ex rebus iure domini pleni, vel domini utilis, vel iure usufructuario ad Ecclesias pertinentibus, siue ex iuribus frugiferis proficiantur, ad refectionem Ecclesiarum parochialium, saluis tamen redditibus ad cultum religionis necessariis, impendi debeant; per hanc regulam vero non excludi modum extraordinarium succurrendi Ecclesiae parochiali eorum, proin necessitate id exigente, aliisque mediis deficientibus, 4) partem dotis abundantis, & ad expensas ordinarias non requisitae, vel 5) bona etiam & iura particularia ad eundem refectionem impendi posse.

§. XXXV.

*II. ad ref.
tinentur
Parochi,*

Praeter fabricam ad refectionem Ecclesiarum parochialium II. ipsinet Parochi tenentur, illis constitutionis Tridentinae verbis comprehensi: Episcopi omnes patronos, & alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt, ... cogant; quae verba ipsos Parochos & alios beneficiatos, decimatores & Patronos utilitatem percipientes respiciunt. Obligatio hisce omnibus communis ratione quadam communi nititur, quod bona ecclesiastica olim ad finem quadruplicem destinata fuerint, & antiqua destinatio, post diuisionem massae, adhuc portionibus eius singulis velut onus reale continuo inhaereat; cumque Presbytero Ecclesiae parochialis sua portio, fabricae sua assignaretur, id facillioris & vtilioris oeconomiae causa tantum, & ea lege factum fuerit, vt portio abundans deficienti succurrere teneatur. Sicut igitur illa diuisione non obstante ex redditibus fabricae depromi debent, quae ad congruam sustentationem Presbyterorum necessariorum requiruntur

tur

tur a), ita vicissim beneficiati, seu alii, qui reditus Ecclesiae percipiunt, deficienti fabricae succurrere tenentur.

a) Conc. Trident. Sess. XXI. cap. 4. de ref.

§. XXXVI.

Nihil tamen nouae obligationis concilium in Parochos de- ^{iure anti-} ^{quo & no-} ^{uo,}
 noluit, onus enim, Ecclesias factas tectas conseruandi, iam
 olim Laicis inter Francos Ecclesias iure beneficii tenentibus a),
 & ipsis etiam Presbyteris eas deseruentibus, & ex earum redi-
 titibus vitae subsidia percipientibus iniunctum fuit: „de his, qui
 parochiales Ecclesias habent, duximus respondendum, quod ad
 reparationem & instructionem Ecclesiarum cogi debent, cum
 opus fuerit, de bonis, quae sunt ipsius Ecclesiae, si eis super-
 sint, conferre, vt eorum exemplo caeteri inuitentur“ b). In
 hac constitutione, si curatius examinetur, Pontifex supponit,
 bona, quamuis a Parocho percepta, si illis non indigeat, ni-
 hilominus Ecclesiae esse, ideoque decedit, ea ad Ecclesiae re-
 parationem esse impendenda. Non tamen absolutam Parochis
 necessitatem imponit; Ecclesias reficiendi; sed si ipsis bona
 Ecclesiae, seu reditus ex ea percepti supersint; cuius condi-
 tionis licet nullam mentionem iniiciat decretum concilii Tri-
 dentini, adeo tamen in ipsa rerum natura & aequitate funda-
 tur, vt censendum non sit, quidquam noui iuris statuere, &
 Parochos etiam cum iactura congruae sustentationis onerare vo-
 luiffe. Religio enim absolute sine Ecclesia, non vero sine Pres-
 byteri ministerio coli potest; Presbytero autem coetui ministe-
 rium suum exhibenti de vitae subsidiis prouidendum erit, id
 quod leges naturales per sacram scripturam expositae euincunt c).

a) „Vt domus Ecclesiarum & regumenta ab eis fiant emendata, vel restaurata, qui
 beneficia exinde habent.“ BALVZ. T. I. pag. 267, 783.

b) Cap. 4. de Eccles. aedif.

c) Luc. X, 7. Math. X, 10. I, Cor. IX, 7. I, Tim, V, 17.

§. XXXVII.

§. XXXVII.

*salua con-
grua sus-
tentione;*

Parochorum igitur obligatio illos tantum redditus clericales afficit, qui ipsis ultra congruam sustentationem supersunt. Vt vero certum sit hoc principium, nouae tamen emergunt quaestiones dubiae, quando in usum est deducendum. Prius enim determinandum erit, *a) quanam redditus* in congruam computandi sint, & *β) quanti* esse debeant, vt Parocho de vitae subsidiis sit prouisum. Cum vtraque quaestio cum obligatione a Parocho implenda intime connectatur, hinc a scopo meo alienum non esse puto, vtramque paucis delibare.

§. XXXVIII.

*nulla habi-
ta ratione
honorum
quarum;*

Fuerunt quidem olim, hodieque sunt non pauci, qui clericis, quibus de patrimonio, ad sui sustentationem sufficienti, prouisum est, nihil de redditibus ecclesiasticis consumere permittunt *a)*; ex qua opinione manifeste sequitur, Parochum, cui bona patrimonialia ad sustentationem sufficiunt, redditus ecclesiasticos omnes in refectionem Ecclesiae parochialis impendere debere. Vt autem opinionem suam tueantur, ad canones antiquos, in Decreto GRATIANI relatos *b)* prouocant. Verum *1)* canones illi partim specialibus temporum adiunctis nituntur, plerique enim conditi fuerunt, cum Ecclesiarum necessitatibus nondum satis prouisum esset; sicut igitur in his rerum circumstantiis obligatio naturalis, media temporalia, ad cultum religionis necessaria, prouidibus facultatum suarum subministrandi, fidelibus vniuersis facpius inculcabatur, ita & clerici, qua praecipua societatum religiosarum membra, ad haec onera communitatis concurrere tenebantur, prout historia oblationum docet, quae primis Ecclesiae faeculis in usu fuerunt *c)*. Sed cum *2)* Ecclesiae, aliquando redditibus perpetuis & sufficientibus dotatae, incertis illis oblationibus non amplius indigerent, nulla fidelibus, & inter hos clericis, incumbere obligatio, Ecclesiae quidquam de patrimonio offerendi. Hinc *3)* clericis quibuscunque, iure tam ciuili quam eccle-

ecclesiastico, permiffum fuit, de bonis fuis patrimonialibus testari, & quocunque modo, reliquis civibus non prohibito, difponere; & tum demum Ecclefia ab intestato ipsis fuccedebat, fi sine fucceffore legitimo deceffiffent d). Nec 4) vllum in hiftoria factum reperietur, e quo poffit probari, poff obitum clerici, e redditibus Ecclefiae fuffentati, tantundem de defuncti patrimonio decerptum, & ecclefiae redditum fuiffe, quantum ille reddituum ecclefiafticorum percepit, & confumfit. Hodiedum etiam in Germania clericos de bonis patrimonialibus liberrime difponere, atque, fi intestati decedant, eos fuccedere, quos ius commune vel particulare ad fucceffionem vocat, notiffimum est.

a) V. ESPEN J. E. II, P. II, tit. 32 cap. 5. PEREM *praefat.* in J. E. P. II, §. 346. C. Seb. BERARDI *commun.* in J. E. U. Tom. II, pag. 317 fequ. Wolfg. SCHMITT *instit.* J. E. Lib. III, tit. 26 §. 4 fequ.

b) Can. 21—24 & can. 23 C. XII, qu. 1, can. 6—8 C. I, qu. 2.

c) Vid. BINGHAM *orig. ecclef.* Lib. V, cap. 4. THOMASSINI v. & N. E. D. P. III, L. I, cap. 1 fequ. RYPPRECHT *notae hiftor.* in *vinu.* J. E. Eccl. Lib. III, tit. 26.

d) „Item fi quis Epifcopus aut minifter Ecclefiae moriatur sine teftamento, & fucceffore legitimo vel legitima, fucceffio competit Ecclefiae, in qua conftituti funt.“ *Authent. Licentiam Cod. de Epifcopis & cler.* Non. 131 cap. 13. „Respondemus, quod licet clerici de his, quae paternae fucceffionis vel cognationis incuitu, aut de artificio funt adepti, aut dono confanguineorum, aut amicorum, non habito refpectu ad Ecclefiam, pervenerunt ad iptos, libere difponere valeant.“ *Cap. 9. de teftament.* „Caeterum, quae ex haereditate, vel artificio, aut doctrina proveniunt, diftribuentur pro arbitrio decedentis.“ *cap. 12, eod. tit.*

§. XXXIX.

Ne tamen, quod ab aliquibus dici folet, perverfus, & ob injuriam temporum toleratis moribus potius, quam fcriptis legibus introductum esse videatur, vt clerici aliunde diuites e redditibus Ecclefiae fuffeantentur, aliquos illorum canonum adferam, qui clericis sine vlllo discrimine, fiue egentibus, fiue opulentis, ex rationibus generalibus vitae fubfidia ex redditibus ecclefiafticis praebere iubent: „clerici omnes, qui Ecclefiae fideliter vigilantique deferviunt, fipendia fanctis laboribus debita, fecundum

Continuatio.

E.

fer-

seruitii sui meritum, per ordinationem sanonum a sacerdotibus consequantur“ a). „Cum secundum Apostolum, qui altari seruit, viuere debeat de altari, . . . dignum est, vt Ecclesiae stipendiis sustententur, in qua & per quam diuinis obsequiis adscribuntur“ b).

a) Can. 10 C. I. qu. 2, can. 1 & 2 C. XII. qu. 3, can. 4 C. XII. qu. 5.

b) Cap. 16, de praebend.

§. XL.

*Quidquid
Parochus
intuitu mi-
nisterii sui
percipit, in
congruam
computan-
dum est.*

Quod igitur attinet ad redditus in congruam computandos, haec statuenda erit regula generalis: quidquid Parochus intuitu ministerii, coetui parochiali praestandi, percipit, in congruam computandum est; e contra, quae ipsi aliunde adueniunt, nulla habita officii parochialis ratione, in eandem computari nequeunt. Hinc sequitur 1), redditus quoscunque e dote beneficii prouenientes partem congruae constituere; ad eundem censum porro 2) pertinere, quae nomine iurium stolae, pro certorum Sacramentorum administratione, aut aliis actibus officio parochiali adnexis soluntur. Reditus enim dotales praecipue ad ministri ecclesiastici sustentationem constitutos esse, nemo ambigit; quod vero concernit iura stolae proprie sic dicta, quae nimirum exigendi ius Parocho intuitu certorum actuum ministerii sui competit, ita, vt Parochianis perfecta obligatio incumbat, illa praestandi, nullo alio, quam necessariae subuentionis titulo niti possunt. Si igitur Parocho e redditibus dotalibus beneficii de vitae subsidiis sufficienter iam prouisum fuerit, nullum ei ius competet, pro singulis actibus sui ministerii quidquam exigendi a), sed sponte oblata tantum acceptare poterit b); e quibus conficitur, iura stolae proprie sic dicta velut supplementum congruae consideranda, ideoque in eam computanda esse c). Aliter vero rem se habere existimo, si 3) Parocho e foundationibus particularibus, velut anniuersariis aut aliis precibus persoluentis, certos redditus percipiat; cum enim congrua ipsi iam qua Parocho, intuitu officii in utili-

tatem

tatem coetus parochiani explendi debeatur, nulla habita ratione illarum foundationum particularium & mere accidentalium, cumque per acceptationem istarum foundationum etiam specialibus oneribus adnexis, & in officio parochiali caeteroquin non comprehensis grauetur, aequum erit, vt, qui plura officia praestat, maiora etiam capiat emolumenta.

*) Cap. 8 & 9. de *Simonia*.

†) Cap. 42 eod. tit.

e) Differeit V. ESPEN in tractatu de *competentia pastoralis*.

§. XLI.

Quanti vero redditus esse debeant, vt Parocho de congrua ^{Quantitas} sustentatione prouisum dici possit, nec lege definitum est, nec ^{congruae} regula generali determinari potest; diuersae enim, in diuersis Pa- ^{regulae gen-} rochiis earumque ministris, circumstantiae concurrere solent, ^{definitae ne-} quibus tamen determinatio quantitatis dependet, vt nequidem in ^{equit;} eadem Dioecesi ad eandem normam exigi queat. Multum iam refert, an redditus Parochi in fructibus naturalibus, an in numerata pecunia consistant; in priori hypothese porro fertilitatis ratio habenda est; in altera rerum ad vitae subsidia necessariorum pretia consideranda erunt. Iuri communi etiam conforme esse videtur, vt specialis personarum & locorum ratio habeatur, & tam literatis a), qui Ecclesiae in munere suo plus prodesse possunt, quam illis ampliores prae aliis redditus assignentur, qui ob situm Parochiae ad explenda hospitalitatis officia, beneficiatis omnibus commendata b), saepius prouocantur.

a) Arg. cap. 28 de *praebendis*: „circa sublimet tamen & literatas personas, quas maioribus beneficiis sunt honorandae, cum ratio postulauerit, per sedem apostolicam poterit dispensari.“

b) Conc. Trident. Sess. XXV. cap. 8. de *ref.*

*Largior
Parochis,
quam aliis
Beneficiis
debetur.*

Largiorem congruam Parochis, quam aliis beneficiis simplicibus deberi, maior grauitas muneris parochialis iam exigit; eoque Clerus ad curam animarum deputatus secundum Spiritum S. canonum primarius, & ad colendam religionem solus necessarius sit, neque alium primitiua Ecclesia nouerit. Cum aliorum saluti vivere tepeatur, aequum est, ei subsidia temporalia non ita parce admensurari, vt anxietas rei domesticae curis diffratur, & a grauissimis muneris sui obligationibus auocetur. Quamuis vero non opes, sed virtutes, scientia, prudentia & charitas pastorem animarum commendent, notissimum tamen est, egestatem plebi despiciatui esse, & sacerdotes, quibus res nimis angustae sunt, non raro ipsa religione ad turpem quaestum abuti. Denique Parochi fidelibus curae suae commissis virtutum omnium exemplis, atque inter has etiam charitatis officio praelucere debent; quae omnia suadent, vt Parochis largior congrua prae aliis beneficiis tribuatur.

Cum quantitas congruae per normam generalem omnibus locis, temporibus & personis conuenientem determinari non poterit, hinc Patres concilii Tridentini de sustentatione Presbyterorum ad curam animarum deputatorum agentes, eandem prudenti arbitrio Episcopi relinquunt; modo enim statuunt: „beneficia ecclesiastica curata, quae cathedralibus, collegiatis seu aliis Ecclesiis . . . perpetuo vnita & annexa reperiuntur, ab Ordinariis locorum annis singulis visitentur, qui sollicite promidere procurant, vt per idoneos vicarios . . . ab eis *cum tertiae partis fructuum, aut maiori, vel minori, arbitrio ipsorum Ordinartorum, portione deputandos* animarum cura laudabiliter exerceatur“ a). Alibi decernunt: „illis autem sacerdotibus, qui de nouo erunt Ecclesiis nouiter erectis praeficiendi, competens assignetur portio *arbitrio Episcopi ex fructibus ad Ecclesiam matricem quomodocumque pertinentibus*“ b).

a) Sess. VII. cap. 7. de ref.

b) Sess. XXI. cap. 4. de ref.

§. XLIII.

Quamvis necessitas refectionis Ecclesiarum parochialium non subito, & casu quodam emergere soleat, sed ipsum tempus, velut edax rerum, aedificia sensim destruat, quae humana industria furrexerunt, intuitu Parochi tamen casui quodammodo tribui potest, quod eo praecise tempore Ecclesiae praesit, quo obligatio reficiendi explenda est. Quodsi igitur & tempus futurae ruinae praevideri, & sumtum, ad restorationem aliquando necessarium, calculus iniri posset, sana ratio suaderet, ut onus inter omnes Pastores in eadem Ecclesia sibi succedentes ex aequo divideretur, & cuique e redivitibus superfluis tantum quotannis decerneretur, quantum aliquando summa, a Parocho ad refectionem contribuenda, exigit. Verum cum haec distributio humanam providentiam superet, illud saltem aequum est, quod in huius Dioecesi & in pluribus aliis obtinet, ut Parocho obligationem implenti sic dicti anni Cleri (das Versitzen) indulgeantur; ut nimirum summa pecuniae, a Parocho, qui nunc praesit Ecclesiae, ad refectionem praenumerata, velut debitum consideretur, ab ipso eiusque successoribus intra certam annorum periodum solutionibus partiariis expungendum.

*Parocho
contribu-
enti debetur
annu
cleri.*

§. XLIV.

Quae hucusque disputavi, de Parochis actualibus intelligenda esse, res ipsa loquitur. Dantur praeterea quandoque personae morales, velut Canoniorum collegia & monasteria, aut certae praebendae & dignitates, quibus Parochiae vel quoad temporalia tantum, vel quoad temporalia & spiritualia simul, incorporatae sunt. Circa Ecclesias alterutro modo unitas & incorporatas regula generalis obtinet: III. illos ad Ecclesiarum corruentium refectionem teneri, in quorum commodum redditus parochiales incorporati fuerunt, siue integra collegia, siue individua sint; siue redditus titulo gratuito & lucrativo, siue etiam oneroso adquisiverint, quae omnia ex dictis de obligatione Parochorum actualium prorsus alieno sunt.

*III. tenentur
illa, in
quorum fa-
vorem re-
ditus par-
incorpora-
ti sunt.*

Et

Et profecto iniquum fuisset, Parochis actualibus obligationem recipiendi lege iniungere, eos vero, qui Episcoporum pietati per cuniculos adrepere soliti, ius percipiendi reditus quidem obtinuerunt, sed onus ministerii aliorum humeris imponunt, immunes ab hac obligatione dimittere. Hinc incorporationibus in Ecclesia adhuc incognitis, laicis Ecclesias iure beneficii a Regibus Francorum tenentibus onus, eas factas testas conferuandi, iunctum fuit *a*), atque hodie etiam illis omnibus, in quorum fauorem facta fuit incorporatio, incumbit *b*).

a) Cap. 1. de Eccles. aedif.

b) Clement. 1, de iure patron.

§. XLV.

*IV. qui
decimas ec-
cles. persci-
piunt,*

Inter eos, qui ad refectionem Ecclesiarum parochialium tenentur, porro referendi sunt IV, qui decimas ecclesiasticas percipiunt. Vexatissimae quaestiones de origine decimarum, de iuribus & obligationibus decimatorum, tam laicorum quam ecclesiasticorum, inter eruditos mouentur, quas omnes vel delibare tantum, quamuis caeteroquin inter se, & cum proposito mihi scopo plus minusue connectantur, limites dissertationis academicae non permittunt *a*). Quod ad originem decimarum attinet, illam opinionem solidissimis argumentis niti puto, quae nec omnes decimas origine ecclesiasticas, nec omnes laicales fuisse statuit; quae enim pro euincenda alterutra tantum origine decimarum afferri solent argumenta, vitio conclusionis generalis ex praemissis particularibus deductae laborant; documenta historica vero nullum dubium relinquere videntur, decimas alias origine laicales, alias ecclesiasticas esse.

a) Vid. de his controuersis dissertationes *Ant. SCHMIDT Thesaur. S. E. Tom. VII. insertae, & alia scripta in illis citata.*

*In dubio
pro deci-
mis eccl'es.
praesum-
endum
est,*

§. XLVI.

Si tamen de praesumptione pro alterutra decimarum specie quaestio sit, in Germania pro ecclesiasticis potius, quam pro laica-

saeculis praesumendum esse arbitror, ad quam opinionem amplectendam duplici potissimum ratione inducor. Inprimis enim constat, tribus prioribus Ecclesiae saeculis decimas nullibi exactas fuisse, sed Ecclesiis, per oblationes voluntarias & collectas extraordinarias, de expensis in cultum religionis & ministrorum sustentationem faciendis fuisse prouisum. Saeculo dein quarto exeunte quidam Ecclesiae Patres praestationem decimarum fidelibus, exemplo e religione iudaica desumpto commendarunt; quae adhortationes sensim degenerarunt in praecipua a), vt saeculo octauo fere omnium animos iam occuparet opinio, decimas clericis iure diuino deberi. Ex hac opinione forsitan repetenda est ratio, cur Saxonibus a CAROLO M. denictis, cum lege amplectendi religionem christianam, etiam illa Neophytis tam inuisa obligatio, clericis decimas praestandi, imponeretur b). Cum igitur in Germania magna, quae versus meridiem Danubio, versus occidentem Rheno terminatur, religio christiana ab eo demum tempore propagata fuerit, quo illa opinio, clericis decimas ex praecipuo diuino deberi, iam inualuerat, inde recte deduci puto, decimas plerasque origine ecclesiasticas fuisse. Alterum argumentum ex inductione desumo; quamuis enim belli priuati licentia post aeuum CAROLI M. in Germania grassari inciperet, & Episcopi ad comparandos milites castrenses & Burgmannos pro castrorum & munimentorum praesidiis, quandoque ad pacem redimendam, quandoque ad ministerialium sustentationem decimas cedere cogerentur, quandoque easdem vltro in consanguineos profunderent; nihilominus plurimae adhuc iure pleno, vel minus pleno ad Ecclesias pertinent; vnde colligo, pro decimis ecclesiasticis, tanquam specie frequentiore, praesumptionem fundari.

a) Dicta Patrum & Canones conciliorum collegerunt THOMASIN, V. & N. E. D. P. III, Lib. I, cap. 2 sequ. RYPPRECHT in *notis hiflor. in vniu. ius can.* Lib. III, tit. 30. Etiam hodieum non pauci iuris ecclesiastici interpretes tuentur, praestationem decimarum *exemplariter* iuris diuini esse; verum, vt leges, decimarum praestationem Iudaicis iniungentes, exemplum, seu obiectum imitationis nostrae dici possent, requireretur, illas circumstantias speciales etiam in religione & Ecclesia christiana concurrere, quae sapientissimum legislatorem Iudaeorum mouerunt, ad legem illam ferendam; has autem diuersissimas esse, nemo non videt;

videt; vicem tantum hic affero: quod Levitis in disitione terrae promissae nulla pars tributa fuerit, econtra ministri religionis christianae amplissima praedia possideant.

- 2) — Simul has pacis leges inseruat,
 Ut toto penitus cultu, ritusque relicto
 Gentili, quem daemionica prius arte colebant
 Decepti, post haec fidei se subdere vellent
 Catholicae, Christoque Deo servire per aequum,
 At vero censum Francorum Regibus viliam
 Solvere nec penitus deberent atque tributum,
 Sed tamen decimas divina lege sruentas
 Offerrent, ac Praefatis parere studeant.

Quem locum Poetae SAXONIS vindicat cel. DÜRER in dissert. de Parocho a perceptione decimarum novantidum in Germania exiliso. §. 4, not. a.

§. XLVII.

Tenantur
 itaque cle-
 rici qua sa-
 nes decimas
 percipien-
 tes;

Clericos, si intuitu muneris ecclesiastici decimas percipiant a), siue sint personae singulares, siue integra collegia, siue decimae Ecclesiis adquisitae fuerint, ad refectionem ex illis teneri, non dubito; eoquod hae decimae inter redditus ecclesiasticos referendae sint, de quibus superius generatim traditum fuit, eos ad refectionem Ecclesiarum parochialium erogari posse & debere. Laicos econtra, qui decimas etiam origine sua laicales percipiunt, ad refectionem non teneri, inter omnes convenit; nullus enim nexus inter onus fabricae & ius percipiendi certam portionem fructuum ex agro alieno proueniendum ex ipsa rei natura perspicitur; neque etiam constitutio Alexandri III. b) id efficere potuit, vt decimae origine laicales huic oneri subicerentur.

a) Clericis in bonis patrimonialibus decimae mere laicales competere possunt, quae aliis iuribus reguntur.

b) Refertur in cap. 19, de decimis; verum loco verbi reddiderit, quod occurrit in hoc capitulo, in canone concilii Lateran. habetur tradiderit; ex quo colligitur, non tantum decimas ab Ecclesiis in laicos translatas ab his restituendas esse, sed etiam alio titulo possessas Ecclesiis esse tradendas; id quod etiam innuit formula generalis: laicos decimas cum animarum suarum periculo detinere; & vltimus interpretatio illius canonis receptum fuit, tantum alienationem iuris decimandi a laicis in alios laicos factam prohiberi, quam interpretationem, vtut a mente ALEXANDRI III. alienam, deia ipsimet Pontifices secuti sunt in cap. 7. de his, quae sunt a Praetato suo cons., cap. 2, §. 3, de decimis in V. 1.

§. XLVIII.

§. XLVIII.

Sed de eo potissimum adhuc controuertitur, an laici possidentes decimas, ab Ecclesiis in se translatas, ad Ecclesiarum refectionem teneantur? Quodsi capitularia Regum Francorum percurramus, in quibus antiquissima decimarum ecclesiasticarum, laicis in beneficium concessarum monumenta reperiuntur, illis simul iniunctum fuisse deprehendimus, vt e fructibus perceptis Ecclesias fartas seruent a); quam obligationem Episcopi, si quando a decimatoribus laicis neglecta fuit, in conciliis vrgere non desisterunt. Cum igitur ex his legibus perspicuum sit, onus reficiendi vel reale, iuri decimandi inhaerens, & cum eo ad quemcumque eiusdem possessorem transiens consideratum fuisse, neque de facta iuris huius immutatione constet, imo leges illae corpori iuris canonici insertae fuerint b), iuste inhaeretur huic obligationi decimatorum laicorum per leges agnitae, donec speciali titulo nixa immunitas ab allegante probetur; quod principium etiam tribunalia tum ecclesiastica, tum saecularia in decidendis controuersis sequuntur c).

Eriam laici, ad quos decimae eccles. pertinetunt.

a) „Vt domus Ecclesiarum & tegumenta ab eis fiant emendata, vel restaurata, qui beneficia exinde habent.“ — „Vt quisque beneficium ecclesiasticum habet, ad reſta Ecclesiae restauranda, vel ipsas Ecclesias omnino adiunct.“ — „Consideratum est, vt de frugibus terrae & animalium primum nonae & decimae persoluantur. De opere vero vel restauratione Ecclesiarum Comes & Episcopus siue Abbas vna cum Miffo nostro considerationem faciant, vt vnusquisque eorum tantum inde accipiat ad operandum & restaurandum, quantum ipse de rebus Ecclesiarum habere cognoscitur; similiter & Valli nostri aut in commune tantum operis accipiant, quantum rerum ecclesiasticarum habent, aut vnusquisque per se iuxta quantitatem, quam ipse tenet. Aut si inter eos conuenierit, vt pro opere faciundo argentum donent, iuxta aestimationem operis in argento persoluant; cum quo pretio Rector Ecclesiae ad praedictam restorationem operarios conducere, & materiam emere possit. Et qui nonas & decimas dare neglexerit, primum quidem illas cum lege sua restituat.“ &c. apud BALVZIVM T. I. pag. 267. 504. 611. 785. 1230.

b) „Quicumque ecclesiasticum beneficium habent, omnino adiunct ad reſta Ecclesiae restauranda, vel ipsas Ecclesias emendandas, & nonam & decimam residant.“ cap. 1. de Eccles. aedif.

c) Vid. DERR dissert. cit. §. 7. lit. n. Sententiam a Senatu imperiali aulico die 24. Nou. 1788 contra Dominos de Halwyl & Rothberg A. C. latam exhibet Auctor Libri, cui titulus: *der Reichshofrath in Inſtiz. Gnaden- und anderen Sachen* Tom. I.

Tom. II, pag. 161 sequ. „dass saemmelliche Zehendherrn, salva tamen congrua Parochi, zur Widererbaueung der Pfarigebaeude, sammt Zubehoer . . . gehalten seyn sollen.“ Rationes sententiae afferens Cl. Auctor inter alia dicit, „Nur war noch die Frage, ob die Appellanten, als inuestiti decimatores laici und A. C., nicht loszusprechen seyen? Der Verf. der Meditationen, de differentia decimarum ecclesiasticarum & saecularium quoad onus reparandi Ecclesias, behauptet: saeculares decimis semel inuestiti ad reparationem Ecclesiarum non obligantur. So sorgfaeltig er aber auch alle moegliche Gruende mit BOEHMER gesammelt, so ward doch uersehen, dass seine Beweise im Grund decimas saeculares a saecularibus datas betroffen haben. Hier waren aber offenbar urspruenglich decimae ecclesiasticae. . . Nun ist unbegreiflich, warum diese decimae ecclesiasticae von dem Augenblick, als sie unter der Einkleidung eines feudi einem saeculari gegeben werden, von daher saeculares seyn sollen, gerade, als wenn sich immer die der Sache anlebende Eigenschaft nach dem Besitzer richten muesse, und gerade, als wenn ein unmittelbares Rittergut, so ein Mittelbarer besitzt, unauthoer, unmittelbar zu seyn. Nichts, gar Nichts, als das dominium fructuum (dominium vtilis), welchem der Last einzig anleibt, geht an den Vasallen uer.“

§. XLIX.

Argumenta
a J. H.
BOEHMER
pro opposi-
tio.

Immunitatem decimarum ecclesiasticarum a laicis adquisitarum multis argumentis tueri conatur J. H. BOEHMERUS, & 1) negat, eas, quae ex aeuo Regum Francorum afferuntur, & in specie cap. 1. de Eccles. aedif. huc quadrare, eoquod nobiles & milites Ecclesias & altaria iure fructuario tantum obtinuerint, proin ipsae res beneficiariae in patrimonio Ecclesiae remanserint, secus se rem habere quoad ius decimandi laicis in feudum concessum. Aliud argumentum desumit 2) ex comparatione decimarum cum aliis bonis ecclesiasticis: sicut decimae, inquit, ita & alii redditus ac bona ab Ecclesiis adquisita ad clericorum & pauperum sustentationem, ad refectionem aedificiorum & expensas cultus diuini destinata sunt; verum, hac destinatione non obstante, bona Ecclesiarum temporalia & iura iam olim a laicis adquisita fuerunt, & hodieum acquiruntur, omnibus oneribus, quibus prius in vtilitatem Ecclesiarum obnoxia fuerant, prorsus extinctis; occur igitur decimae ecclesiasticae non eodem iure in laicos transferri possint? Sicut 3) ridiculum foret, salario, ad sustentationem Theologi vel Medici destinato, qualitatem theologicam vel medicam tribuere, ita etiam decimis ob finem spiritualem, cui inferiunt, qualitatem spiritualem non inesse,

inesse, & si eandem reuera adnexam habent, nihilominus, translatione in laicos facta, prorsus exuere, nomine & re faecularisari 4). Si onera decimis ecclesiasticis adnexa ad quemcunque earum possessorem transirent, ex paritate rationis inferendum esse, quod Ecclesiae & monasteria e bonis suis ad reparationes pontium, Moenium & ad quaecunque opera publica conferre deberent, eoquod his oneribus fuerint obnoxia, antequam ad Ecclesias vel monasteria transferebantur L. 11 & 12 Cod. de operib. publ. Denique 5) falsum esse, quod decimae intra fines cuiusdam Parochiae percipiendae olim ad Ecclesiam parochialem pertinuerint, eas potius ab Episcopis perceptas, & ab his in laicos alienatas fuisse, nullam proin iustam rationem reperiri, decimatori laico refectionem Ecclesiae parochialis, a qua tamen decimae in eum profectae non fuerint, iniungendi a).

*) J. H. BOEHMER Consult. & Decis. Tom. I. Argum. IV. pag. 76 sequ.

§. L.

Verum, ad 1) qualiscunque fuerit natura beneficiorum, <sup>refectio-
tura</sup> quae Reges Francorum in rebus Ecclesiarum constituerunt, illud tamen indubium est, fructus ex iure vel re beneficiaria prouenientes in pleno percipientis dominio fuisse; & nihilominus beneficium obtinentibus iniunctum fuit, vt omnino adiuent, ad tecta Ecclesiae restauranda, vel ipsas Ecclesias emendandas, & ^{nonnam} & decimam reddant a). Non igitur de ipsa re beneficiaria, sed de fructibus sermo est, qui nonnisi cum onere a percipiente adquiri potuerunt, ideoque ad refectionem Ecclesiae reddi iubentur; atque hoc ipsum est, quod a decimatore laico exigimus, ad quem decimae ecclesiasticae peruenerunt. Ad 2) & 3) hodie quidem nemo distitetur, decimas ecclesiasticas, siue ex natura obiecti, siue ex natura finis consideratas, aliis iuribus, censibus & bonis Ecclesiarum temporalibus prorsus aequiparandas esse. Quamuis enim ministris religionis necessa-

riis congrua sustentatio iure naturali & diuino positiuo debeat, delectum tamen mediorum, per quae sustentatio praebenda est, fidelibus, quibus obligatio incumbit, relictum esse nemo ambigit. Illud etiam BOEHMERO largiendum est, iuri decimandi ecclesiastico nullam inesse qualitatem spiritualem, & eam, si quae foret, prorsus euanescere debere, si in laicos transferatur, eodem modo, quo census, praedia & iura quaecunque, ab Ecclesiis in laicos translata, mere saecularia fiunt, quasi nunquam penes Ecclesias fuissent. Verum etiamsi onus rescindi Ecclesias, & congruam sustentationem ministrorum supplendi, non ex ipsa decimarum natura & primaeva destinatione deduci possit, illud tamen legibus introductum fuit. Longe aliis opinionibus imbuti erant summi Pontifices, cum de decimis a laicis adquirendis, possidendis & in alios rursus transferendis, quam cum de reliquis bonis & iuribus temporalibus Ecclesiarum ageretur; decimas iure diuino introductas esse *b)*, alia iura & bona temporalia fidelium pietati & liberalitati in acceptis referri putarunt; haec sponte in Ecclesias collata, causis canonicis suadentibus, rursus alienari permiserunt; nulli laicis haec bona ecclesiastica acquirendi, de adquisitis, omni nexu cum fine religionis soluto, libere disponendi facultatem denegarunt, aut aliqua lege restringere conati sunt. Econtra declararunt, laicos incapaces esse, decimas ecclesiasticas possidendi, & si quas tenerent, in alios laicos transferri prohibuerunt *c)*; minime vero nexum inter decimas & finem religionis, secundum communem illius aevi opinionem iure diuino constitutum, per alienationem ita dissolui posse arbitrabantur, ut nequidem onera, iure diuino decimis inhaerentia, praestarentur. Hinc antiqua decimatorum laicorum obligatio in decretalibus innouata *d)*, hinc Monasteriis decimas Ecclesiarum parochialium percipientibus iniunctum fuit, ut eandem necessitatibus providerent *e)*; hinc concilium Tridentinum, legibus antiquis inhaerens, sine discrimine omnes illos ad refectionem Ecclesiarum parochialium cogendos esse praecipit, qui fructus aliquos ex illis proueniens percipiunt *f)*. Quodsi col-

legia

legia Canonorum & Monasteria, a quibus decimae Ecclesiarum parochialium legitime adquisitae fuerunt, secundum leges recitatas iuste cogi possint, ut, necessitate id exigente, decimas non in suarum, sed in parochialium Ecclesiarum usum impendant, eoquod, nulla habita ratione alienationis, inter fructus ex Ecclesia parochiali provenientes referantur; nulla ratio perspicitur, cur non statuendum sit, idem onus etiam decimis ecclesiasticis a laico adquisitis inhaerere. Ideoque observantia illarum Dioecesium, in quibus decimatores laici, dummodo ius decimandi ab Ecclesia adquisuerint, ad refectionem adiguntur, non velut singularis, sed potius ut iuri communi conformis consideranda est.

Quamvis vero erronea fuerint principia aevi, de obligatione praestandi decimas ex iure diuino deducta, detecto tamen errore vis legum illis superstructarum non corrui; quis enim ignorat, quod plura alia iura ex similibus erroribus, ex falsis S. Scripturae interpretationibus, ex suppositis, imo ex confictis fontibus hausta, hodie non tantum in foris ecclesiasticis, sed etiam saecularibus, & inter ipsos Protestantes in viridi sint observantia? g)

a) Cap. 1. de *Eccles. aedif.*

b) „Cum decimae non ab hominibus, sed ab ipso Deo sint institutae.“ Cap. 14. de *decimis.* „Cum laicis nulla sit de *spiritualibus* concedendi, vel disponendi facultas, imperialis concessio, quantumcumque generaliter fiat, neminem potest a solutione decimarum eximere, quae diuina constitutione debentur.“ Cap. 25 *cod. tit.* „Illae quippe decimae necessario soluendae sunt, quae debentur ex lege diuina.“ — „cum autem in signum vniuersalis dominii, quasi quodam titulo specialii, sibi Dominus decimas reseruauerit.“ Cap. 22 & 23 *cod. tit.*

c) Cap. 15 & 19 de *decimis.*

d) In cap. 1 *cit. de Eccles. aedif.*

e) Cap. 2 §. 2 de *decimis in 6to.*

f) Sess. XXI. cap. 7 de *ref.*

g) Vid. cap. 4. de *secund. nuptiis*, cap. 10 & 11 de *testament.* cap. fin. de *praescript. c. 2 C. III. qu. 1.*

*Continua-
tio.*

Ad 4) omnino indubium est, bona temporalia, a ciuibus in Ecclesias & monasteria collata, iisdem oneribus per se obnoxia manere, quae illis ante hanc translationem inhaeserunt, nec nouis possessoribus plus iuris, aut immunitatis competere posse, quam illis, a quibus causam habent; sed subiectum domini tantum immutari. Si igitur ad onera publica non contribuant, immunitas ex speciali privilegio, nequaquam ex qualitate personali noui domini deriuanda erit. Atque hoc modo considerata similitudo, si quam vim habet, potius ad stabiliendam, quam ad euertendam opinionem meam facit.

Ad 5) etiam illud concedo, ut omnes redditus ecclesiasticos, ita & decimas per vniuersam Dioecesin olim in potestate Episcopi fuisse, qui tamen easdem pro lubitu consumere, aut dissipare non poterat, sed potius de omnibus ad cultum religionis mediate seu immediate necessariis, e redditibus superiori suae curae, administrationi & dispensationi commissis providere tenebatur. Parum igitur refert, an decimae laicis concessae olim ab Episcopo, an ab Ecclesia parochiali perceptae fuerint, Episcopus enim singularum Ecclesiarum suae Dioeceseos causam egit, & in vtraque hypothesi certa onera e decimis praestanda erant, quae modo illis incumbunt, ad quos decimae his oneribus obnoxiae peruenerunt.

*Ad id autem
sum. ad
quincen-
dam obli-
uionem
decimae,
hinc.*

Praeterea Ecclesiarum parochialium extructio & reparatio ad onera coetus illius pertinet, qui Parochiam constituit. Quod si igitur decimae a prima sua origine ad cultum religionis praestitae, vel, ut dicere solemus, quoad originem ecclesiasticae fuerint, coetus parochialis redditus sufficientes & perpetuos subministrat, & adhuc subministrat, per quos obligationi suae satisfacit; qui cum ex certa causa praebentur, illi, qui eos percipiunt, saltem pacto tacito ad causam implendam se obligant. Sicut igitur

tus

tar Episcopi, aut quicumque decimas perceperunt, oneribus coetuum parochialium satisfacere tenebantur, ita etiam conditionem illorum, in quos ius suum transferebant, pinguiores facere, & plus libertatis, quam ipsismet competebar, ne concedere quidem potuisse videntur, sed suo tantum iure, vtiq; oneroso, se abdicare, nequiquam coetus parochiales duplicato onere gravare poterant, quod tamen a Parochianis suscipiendum foret, si decimae quoad originem ecclesiasticae iam ab obligatione contribuenti immunes perciperentur. Vnde denuo insignis differentia inter decimas aliaque bona & iura a piis fidelibus ex mera liberalitate in Ecclesias collata deprehenditur.

§. LIII.

Porro inter eos, qui ad refectionem Ecclesiarum parochialium tenentur, in constitutione concilii Tridentini referuntur V. Patroni; inter hos tamen rursus diuersae species discernendae sunt. Fieri nimirum potest, vt inprimis A) vni ius patronatus in Ecclesia, alteri in beneficio parochiali competat; secundum ius commune enim per fundationem vndeque perfectam, seu ad obtinendum finem idoneam ius patronatus acquiritur; si igitur ab vno Ecclesia extrahatur & doteretur, ab alio tot assignentur redditus stabiles, quot ad sustentationem ministri ecclesiastici requiruntur, ille ius patronatus in Ecclesia, hic in beneficio acquirat. Diuersa sunt vtriusque Patroni iura, diuersae obligationes; Patrono Ecclesiae ius sedis honoratoris, sepulturae in choro, & vbi in vsu est, honor processionis, precum publicarum & luctus publici, Patrono beneficii ius nominandi & praesentandi beneficiatum competit; vtrique, si ad inopiam vergat, ex dote a se constituta modeste succurrendum est *a*). Plerumque B) Patrono non alia competunt iura, quam quae Patronatui sunt naturalia, vel iure communi insunt; quandoque tamen Patronus ex titulo speciali certos redditus ecclesiasticos, siue in perpetuam constituti iuris patronatus memoriam per legem fundationis reseruatos, siue legitima auctoritate eidem tributos percipit *b*).

V. tenentur Patroni; diuersae Patronorum species.

a) Cap. 25 de iure patron. can. 29 & 30 C. XVI. qu. 7.

b) „Praesenti decreto statuimus: eos, siue Aduocati, siue Patroni, vel Vicedomini . . . a grauinibus Ecclesiarum cessare, nihilque in ipsis praeter antiquos & moderatos redditus, a locorum Episcopis institutos, exigere.“ Cap. 23 de iure patron. cap. 15 de censibus.

§: LIV.

*Regulae de
obligatione
Patroni,*

Iam quid de obligatione cuiuslibet Patronorum speciei sentiendum sit, disquiramus. Cum ius patronatus, velut alia iura, quorum exercitium obiectum aliquod supponit, in quo se exercere possint, cum obiecto interiturum esset, hinc fuit 1) regula generalis: quod illi, quibus ius patronatus siue in Ecclesia & beneficio parochiali, siue in Ecclesia tantum competit, iuris sui conseruandi causa ad eiusdem refectionem teneantur. Inde porro deducitur, quod 2) Patrono in beneficio parochiali tantum, nulla obligatio reficiendi Ecclesiam incumbat; e contra 3) illum Patronum, qui redditus aliquos ex Ecclesia parochiali percipit, duplici titulo ad eiusdem refectionem teneri: quatenus nimirum redditus Ecclesiae ad eum perueniunt, atque insuper iure patronatus gaudet; quae sat clare tradere videtur concilium Tridentinum, cum Episcopis praecipit, vt omnes Patronos, & alios, qui fructus aliquos ex Ecclesiis parochialibus proueniunt percipiunt, ad earundem refectionem & instaurationem cogant a).

a) Sess. XXI, cap. 7 de Reform.

§. LV.

*Patronus
renuntian-
do iuri suo
se liberare
potest,*

Quodsi vero Patronus, cui ea solum iura competunt, quae patronatui inesse solent, iuribus suis se abdicare malit, quam onus refectionis subire? Sunt, qui inuitum cogi posse tuentur a), argumento ex analogia iuris ciuilibus b), & ex tacita promissione primi adquirentis desumpto, cui opinioni etiam fauere videtur generalis illa formula decreti Tridentini paulo ante recitata, quae omnes Patronos ab Episcopis ad instaurationem Ecclesiarum parochialium cogi praecipit. Verum, si 1) ipsa origo
iuris

iuris patronatus consideretur, manifestum est, quod Ecclesia, pro collato sibi beneficio, Patronis gratitudinem suam a Republica etiam probatam *e)* testari, ipsisque certa iura, nullo pacto interueniente, velut motu proprio, lege tribuere voluerit; potissima ratio, quae Praefules Ecclesiae & Principes mouere potuit, vt ipsi vicissim Patronos quibusdam iuribus auerent, in eo quaerenda esse videtur, quod extractores & dotatores Ecclesiarum non priuatae, sed publicae vtilitati consulerent, atque etiam alios ad similem liberalitatem inuitari publice interesset; nunquam igitur in Patronorum odium detorquendum est, quod in eorum fauorem tantum, & in gratitudinis testimonium introductum fuit; reuera autem ius patronatus odiosum esset, & ad absterrendum potius, quam ad inuitandum comparatum, si Patronus, ad renuntiandum iuri suo paratus, ad refectionem Ecclesiae cogi posset.

a) *Car. Seb. BERARDI comment. in ius eccl. viui. Tom. II, pag. 91. PERHEM praelect. in ius eccl. viui. P. II, §. 631.*

b) *L. 33 Dig. de seruit. praed. urb. & L. 6 §. 2. Dig. si seruit. vindic.*

c) *Nov. 123. cap. 18.*

§. LVI.

Praeterea 2) in extructione & dotatione Ecclesiae nulla solida ratio reperitur, ex qua colligi posset, Patronum sese suosque successores pacto tacito obligasse, ad Ecclesiam eiusque dotem, toties, quoties interiturae essent, restaurandas. Quamuis enim finis extructionis & dotationis perpetuus sit, ideoque apta, & natura sua perpetua esse debeant media, ad hunc finem obtinendum a Patrono subministrata; ea tamen hic perpetuitas intelligitur, quae rebus humanis inesse solet, casibus vtique & vicissitudinibus obnoxia; ita censum, ex re immobili prouenientem, perpetuum dicimus, quamuis cum re ipsa interire possit. Quod si igitur e prima extructione & dotatione pactum tacitum, de restauratione a Patrono suscipienda, erui nequeat, nulla etiam lege illi iniungi poterit; indubitatum enim iuris naturalis principium est, onera rei, quae in commune commodum cedit, si de obligatio-

Continuatio.

gatione constituenda, non de implenda obligatione ab aliquo membro communitatis iam contracta agatur, a communitate praestanda esse.

§. LVII.

Continuus.
sio.

Inde 3) deducitur, decretum concilii Tridentini, vt generalis sit eius formula, si quam aliam interpretationem admittat, non de Patronis quibuscunque intelligendum esse; nam praesumi nequit, Patres concilii ius nouum contra mentem antiquorum canonum, & contra ipsam aequitatem constituere voluisse. Interpretationem restrictiuam vero ipse contextus verborum suppeditat; qui non simpliciter de omnibus Patronis loquitur, sed Episcopis id tantum praecipit, vt omnes Patronos & alios, *qui fructus aliquos ex Ecclesiis parochialibus prouenientes percipiunt*, ad earundem refectionem cogant, quae propositio communis praedicati vim habet intuitu vtriusque subiecti praecedentis, per particulam *et* connexi. Omnes igitur Patroni, qui fructus percipiunt, quamuis iure patronatus se abdicare vellent, ad Ecclesiarum restauracionem cogendi sunt; illis econtra, quibus iura Patronorum communia tantum competant, hisce iuribus renuntiare, atque hoc modo ab onere reficiendi sese liberare permixtum est. Doctrina hucusque exposita plurimorum iuris ecclesiastici interpretum calculo probatur a).

a) Vniu loco omnium adfero BENEDICTVM XIV, qui *Issit. C. num. 14.* ita habet: „cum vero Patroni restaurare, ac de nouo erigere, si opus fuerit, Ecclesiam debeant, non *praeiis*, sed *causatis*, vt explicant Theologi, nempe si ius praesentandi retinere velint; hinc factum est, vt iisdem Patronis consentaneum temporis spatium proponatur, quo templum restaurent, vel, si necessitas postuler, illud rursus aedificent, aut ius nominandi dimittant.“ In quam rem etiam adfert sententiam congregationis Cardinalium concilii Trident. interpretum, quae Capitulo cuidam cathedrali, qua Patrono, terminum sex mensium ad reaedificandum, vel ad renuntiaudam iuri Patronatus praefixit,

§. LVIII.

Demum inter eos, qui ad refectionem Ecclesiarum parochialium tenentur, concilium Tridentinum refert VI ipfos Parochianos a). Parochiani autem sunt, qui intra limites districtus illius, cui praeest Presbyter ad curam animarum deputatus, verum aut quasi domicilium habent. In regula igitur hae omnibus onus reficiendi incumbit, siue locum inhabitent, in quo Ecclesia parochialis extracta est, siue in alio loco ab eadem remoto commorentur, nisi exemptionem aliquam iusto titulo adquisitam doceant; immunitatem vero ab oneribus civilibus, ad exemptionem ab onere reficiendi Ecclesiam parochialem non porrigi existimo, eoquod illa ex causis politicis, religionem eiusque cultum non concernentibus concedi soleat, Parochiani autem hic non qua ciues considerandi sint, sed qua membra societatis religiosae, cuius intuitu aliis rursus, quam in ciuitate, iuribus & obligationibus vtuntur.

VI ad vis.
tenentur
Parochia-
ni.

a) „In illorum defectum Parochianos omnibus remediis oportunis ad praedicta cogant.“ Sess. XXI, cap. 7 de ref.

§. LIX.

Veram an etiam illae portiones gregis parochiani, quibus propriae sunt Ecclesiae filiales, ad Ecclesiam matricem & principalem reficiendam teneantur, an vero hic exceptio a regula generali locum habeat, varie a variis determinatur. Quidam sine omni discrimine sic dictos filialistas immunes esse putant, ne duplici onere grauentur a); alii e contra, quorum sententiam solidioribus rationibus niti arbitror, discernunt, an filialistae Ecclesiam propriam habentes, nihilominus sacrorum peragendorum causa Ecclesiam parochialem accedere teneantur; an vero proprio vtantur sacerdote, Parochi quidem vicario & coadiutore, qui tamen sacra omnia in Ecclesia filiali administret? In priore hypothese, non item in altera, ad refectionem Ecclesiae parochialis tenebuntur b).

An &
quando teneantur
coetus filiales?

membris cuiusdam societatis communis, in communione commo-
dita est, aut aequaliter, aut ex parte tamen in omnes socios re-
dundantis; quicumque enim communem utilitatem percipiunt,
etiam ad media, sine quibus illa obtineri nequit, secundum pro-
portionem commodi in eos deriuandi, concurrere tenentur; &
iniquum foret, onus totum in alios deuoluere, communione ta-
men boni inde pronouentis frui uelle. Si igitur coetui filiali pro-
pria quidem sit Ecclesia, uerum sacerdote sacris in illa operante,
aut semper, aut statis saltem diebus dominicis & festis destituatur,
ideoque Ecclesiam parochialem teneatur accedere, eiusdem com-
munionem frui, atque secundum communionis mensuram ad
eiusdem refectionem contribuere tenetur. Imo in hac hypothesi
praesumendum erit, Ecclesiam filialem non ex causa necessitatis,
sed ad filialistarum instantiam tantum extractam esse. Sicut uero
eiusmodi Ecclesiarum extractio auctoritate publica iniungi nequit,
sed ex causis pijs id petentibus, ad religionis incrementum tan-
quam opus supererogatorium tantum permittitur, ita etiam filia-
listis nulla imminet necessitas, corruentes reaedificandi; sed re-
aedificatio, ut prima extractio, pendet ab eorum arbitrio, ut eos,
duplici onere grauari dici nequeat.

a) J. H. BOEHMER in iure paroch. pag. 440 & in dissert. de iure & onere ref. &c.
§. 47; quem sequi uidetur MARTINENGO in dissert. de eo, quod iustum est
circa onus reficiendi aedificia eccles. pag. 20.

b) „Si non sit reseruatum hoc onus, supposito, quod (filialistae) habeant proprium
sacellatum, & non frequentent Ecclesiam matricem, non obligantur etiam con-
tribuere ad reparationem matricis.“ BARTHEL minor. ad uniu. ius can.
pag. 320.

§. LX.

Continua-
tio.

Quodsi uero proprius sacerdos, a Rectore Ecclesiae paro-
chialis quidem dependens, (eum in quibusdam Dioecesibus sa-
cellanum, alibi Parochi vicarium vel cooperatorem vocare solent,)
sacra parochialia in Ecclesia filiali ita administret, ut coetus filia-
lis, religionis colendae causa, ad Ecclesiam matrem confluere
non teneatur, etiam ab illius refectione immunis erit. In hac
enim

enim hypothese vere dici poterit, inter diuersas portiones coetus parochialis, in locis diuersis commemorantes, communionem intuitu Ecclesiae parochialis sublatam esse, proin etiam nullam amplius subeundi oneris communionem reperiri. Eiusmodi Ecclesiae filiales plerumque ex causis necessitatis extructae fuerunt, quales sunt populi christiani multiplicatio, vt intra vnus Ecclesiae ambitum contineri, ab vno Pastore instrui, vel sacra suscipere non facile possit, aut si coetus filialis in loco ab Ecclesia parochiali valde remoto commoretur, vel iter ad eandem quandoque ob riuorum exundationes, ob profundam sinuem, vel ob montes superandos impeditum, aut a senibus saltem & paruulis nonnisi magno labore emetiendum sit. Cum in his rerum adiunctis ad nouae Ecclesiae parochialis erectionem in loco filiali deueniri posset, si media, ad sustentationem proprii Pastoris sufficientia, praesto esset; Ecclesiae filiales, in his locis ex causis necessitatis extructae, suo fato relinqui nequeunt, sed si ruinam minentur, restaurandae erunt; eo ipso vero hi coetus filiales, sublato vsu communi Ecclesiae parochialis, ab eiusdem refectione immunes erunt, ne duplici onere praegrauentur.

§. LXI.

In Germania saepe diuersis religionibus, lege Imperii probatis, additi sunt, qui intra fines Parochiae verum vel quasi domicilium habent; de quibus porro videndum est, an & quando ad refectionem Ecclesiae parochialis contribuere teneantur. De solis quidem Protestantibus, eorumque obligatione vel immunitate, ad scopum praesentis commentationis sermonem instituo; quilibet autem, me etiam non mouente, facile animaduertet, principia, ad definiendam quaestionem propositam tradenda, inter veriusque religionis a seclis communia esse, & quae de onere vel libertate Protestantium statuuntur, in iisdem rerum adiunctis etiam intuitu Catholicorum obtinere, cum, quod vni parti iustum est, alteri aequum

An ad ref.
teneantur
Protestan.
tes?

aequum esse debeat a), nullaque pars in suae religionis odium, aut alterius commodum praegravari possit. Imprimis autem discernendum esse puto, an 1) Protestantes, qui intra fines Parochiae cum Catholicis permixti vivunt, ex observantia anni normalis aliquod suae religionis exercitium obtineant, an vero ipsis 2) devotioni domesticae tantum vacare liceat? Si primum, porro videndum erit, an a) secundum observantiam anni normalis exercitium diversarum religionum vigeat in eadem Ecclesia, quod simultaneum crudum dicunt, an β) cuiusque religionis confortes aedes sacras sibi proprias possideant? In prima hypothese nemo non videt, Ecclesiam parochialem confortibus utriusque religionis communem esse, communibus proin sumptibus esse reficiendam; nisi alterutra pars communioni rei & vsus forsitan renuntiare, sibi que propriam Ecclesiam extruere velit, quam renuntiationem nulla lege prohibitam esse iudico b). In altera vero hypothese nulla rei vel vsus communio, nulla societas inter utriusque religionis aedecias reperitur. Catholici igitur suam Ecclesiam parochialem, suam Protestantes reficere tenebuntur.

a) J. P. O. V, x.

b) In J. P. O. V, 31 quidem constituitur: subditi exercitium religionis, quod in quacunque Anni 1624 parte habuerunt, retineant, etiam imposterum via cum annexis . . . „nec minus maneat in possessione omnium dicto tempore in potestate eorundem constitutorum temporum.“ Verum per haec verba praecipua non restringitur libertas subditorum, sed tantum liber vsus iuris reformandi ut historia tractatum, & comparatio sphi 31 cum sphis praecedentibus & subsequentibus ostendunt: & in fine eiusdem sphi 31 additur: „& haec omnia semper & ubique observentur consue, donec . . . inter status immediatos eorumque subditos mutuo consensu aliter erit convenitum, nec quisquam a quo unquam illa ratione aut via turbetur.“

§. LXII.

In regula
non tenen-
tur, qui
nullum
suae religi-
onis exerci-
tium habent.

Quodsi vero Protestantes intra fines Parochiae catholicae commorantes in anno decretorio neque publicum, neque privatum suae religionis exercitium habuerint, sed ad normam J. P. O. V, 34 conscientia libera domi devotioni suae privatim vacare, in vicinia vero, vbi, & quoties voluerint, publico religionis exercitio interesse possint, Parocho loci, in quo domicilium consti-
tuerunt,

tuerunt, ius quidem tribuitur, actus utriusque religioni communes illis administrandi, velut Baptismum conferendi, matrimonio iungendos, proclamandi, eorum nuptias initiandi, defunctos sepeliendi, & quaecumque sacra peragendi, quae salua conscientia a ministro diuersae religionis suscipi possunt; cuius iuris parochialis argumentum continetur in illis verbis J. P. O. V, 35: ,, siue autem Catholici, siue A. C. fuerint subditi, nullibi ob religionem despicitui habeantur, . . . multo minus publicis coemeteriis honorene sepulturae arceantur, aut quidquam pro exhibitione funeris a supersticibus exigatur, praeter cuiusque Ecclesiae parochialis iura, pro demortuis pendi solita. Vbi ius humandi cadauera defunctorum, demonstrationis causa allatum a), inter iura parochialia intuitu consortium diuersae religionis, quibus propius suae religionis minister non est, refertur. Atque ab ipsis etiam tribunalibus Protestantium Catholicis exercitio religionis destitutis necessitatem imponi, actus communes a ministro A. C. suscipiendi, sententiae a J. H. BOEHMERO allatae probant b).

a) In loco excitato ius inhumandi cadauera, demonstrationis vel exempli, non specificationis causa afferri, ostendunt verba mox subsequens: „sed in his & similibus pari sum conciliibus iura habeantur.“

b) J. E. P. Lib. III, tit. 37, n. 78.

§. LXIII.

Ex his tamen iuribus parochialibus nondum sequi arbitror, Consortibus diuersae religionis, intra fines Parochiae domicilium habentibus, sed exercitio religionis destitutis, onus reficiendi Ecclesiam parochialem incumbere. Inprimis enim ex actibus a Parocho catholico suscipiendis nullo modo sequitur, Protestantes Parochiae incolas cum Catholicis vniam societatem religiosam, seu Ecclesiam parochialem constituere, & velut membra societatis ad onera socialia conferre debere, cum in ipsis substantialibus religionis, atque in vsu mediorum ad finem obtinendum inter se diferepent; sed quod aliquis tantum inter eos & Parochum nexus intercedat, in eo situs, quod Parochus, secundum constitutio-

Continuatio est exceptio a regula.

aem sacrorum in Germania, his intuitu coetus parochialis extraneis, religionis exercitio, proin etiam proprio eiusdem ministerio destitutis, intra limites Parochiae tamen commorantibus, quaedam sacra cum iure, quemcumque alium sacrorum ministerium excludendi, administrare possit. Dein etiam inter coetum parochialem & hos alterius religionis aedificas nulla communio Ecclesiae parochialis, nullus usus communis reperitur, nulla proin iusta obligatio communis ad eiusdem reparationem cogitari potest. Proprius enim & praecipuus Ecclesiarum parochialium usus in eo consistit, quod coetus cum suis Pastoribus religionis colendae causa in illis congregentur, a quibus vero diuersae religionis aedificae sunt exclusi a).

Nihilominus quandoque lege territoriali constitutum est, ut sine discrimine religionis ad reparationem Ecclesiae conferre debeant, qui intra fines Parochiae domicilium habent b). Cum illi, quibus ius devotionis domesticae tantum competit, necessario tolerandi non sint, sed ad emigrandum eogi possint c); hinc eiusmodi lege lata, domicilium in Parochia retinentes tacite promittunt, se eidem obtemperaturos esse; multo magis igitur ad contribuendum obligantur, qui lege iam lata, domicilium in Parochia primum constituunt.

a) Dissertatione DE LYDOLF P. III. obs. 275. STRUBE *rechtl. Bedenken* Tom. IV. num. CXVI, quorum argumenta ex professo refellit cl. auctor libri *der Reichshofrath in Sülz: Gnaden- und anderen Sachen* Tom. II. pag. 218; cui inter Protestantem consentiunt PERTSCH *dom. iur. can.* L. II. tit. 18. J. II. BOEHMER J. E. P. Lib. III. tit. 48. §. 74.

b) Exempla adest BOEHMER loc. cit.

c) J. P. O. V. 36 & 32.

§. LXIV.

Episcopū
qua tales
numquam
ad ref. te-
nentur.

Denique Episcopi vi sui muneris curare quidem debent, ut parochiales Ecclesiae ab illis, quibus onus reficiendi incumbit, factae, tectae conferuentur, & collapsae restaurentur, ut vero ipsimet e suis redditibus ad earum refectionem conferant, nulla lege proditum est; quamvis enim ius liberae collationis, Episco-

po

po in regula competens, multo pinguius sit iure patronatus, similibus tamen oneribus non est obnoxium; eoquod non speciali fundationis, extructionis & dotationis titulo, sed iure solitario & exclusiuo nitatur, sacros ordines conferendi, & ordinatis ministerium sacrum, in aliqua Ecclesia obeundum, assignandi. Ideoque synodus Tridentina inter eos, qui ad reparationem Ecclesiarum parochialium tenentur, Episcopos non recenset, sed Episcopos illis etiam opponit, cum eos auctoritate episcopali, per quaeuis oportuna iuris remedia, cogendos esse praecipit; omnibus demum & singulis oneri ferendo imparibus, Ecclesias dirutas ne dum quidem e relictibus Episcopatus restaurari, sed cum aliis vicinis vniri iubet a).

In Germania tamen Episcopi in pluribus suarum Dioecesium parochiis decimas percipiunt, atque intuitu harum Ecclesiarum parochialium pari cum aliis decimatoribus ecclesiasticis iure censendi erunt. Similiter saepius olim contigit, & etiamnum contingit, vt bona, praedia & castra, quibus ius patronatus adnexum est, ab Episcopis adquirantur; in quibus casibus quidem impedimentum, quod hucusque liberae collationi episcopali obstitit, remouetur, & ius nominandi & praesentandi ad instituentem transit, sed potius euanescit; iniquum tamen fore puto, si hae acquisitiones in detrimentum terti, nimirum Parochianorum vergere deberent, qui vtrique grauarentur, si mensa episcopalis oneri se subtraheret; aequum igitur est, vt Episcopus praestet id, quod Patrono, in cuius iura inuodam modo successit, ad rem suam cum adnexo iure patronatus conseruandam incubuisset.

a) Sess. XXI. cap. 7. de res.

CAPVT III.

DE BENEFICIO ORDINIS OBTINENTE INTER EOS, QUI
AD REFECTIONEM ECCLESIARVM PAROCHIALIVM
TENENTVR, ET DE OBLIGATIONIS A QVOVIS
EXPLENDAE MENSURA.

§. LXV.

*Obligatio
reficiendi
est vel
principalis,
vel subsidia-
ria.*

Plures hucusque recensui, qui ad refectionem Ecclesiarum parochialium tenentur, non tamen in quolibet casu obuiente omnes illi enumerati reperiuntur; fieri enim potest, vt ius decimandi intra limites Parochiae exulet, vt nemini ius patronatus in Ecclesia competat, vt nemo reditus ex ea provenientes percipiat praeter Parochum, atque hic tantum, quod ad congruam sustentationem sufficit. Neque etiam aequalis est omnium obligatio, quibus hoc onus incumbit, vt emergente necessitate refectionis, omnes & singuli statim ad ferendas expensas concurrere deberent; sed aliorum obligatio *principalis*, aliorum *subsidiaria* tantum est. Vtrumque vocabulum alias quidem de eodem subiecto & diuersis obiectis vsurpari solet; velut si res nobis restituenda sit, quae dolo alterius interit, idem subiectum principaliter ad restituendam rem, & in subsidium ad eiusdem aestimationem praestandam tenebitur; hic vero de eodem obiecto sermo est, ad quod praestandum alii primo, sique nihil, aut saltem totum efficere non possint, alii secundo, vel vltiore loco tenentur, quam succedaneam obligationem *beneficium ordinis* voco. Cum igitur intuitu eorum, quibus reparatio incumbit, diuersos gradus deprehendere liceat, facile perspicitur, idem subiectum, in ordine obligatorum medium locum obtinens, diuerso respectu primario, vel in subsidium teneri. Quodsi ex. gr. obligatio decimatoris cum illa fabricae comparetur, tantum subsidia est; e contra primaria, si oneris coetui parochiali incumbentis ratio habeatur.

§. LXVI.

Si de Ecclesia parochiali ex causa necessitatis primum extruenda ageretur, sumtus sine dubio praestandi essent a coetu fidelium, in cuius utilitatem noua Ecclesia exurgeret; ex iisdem rationibus, cuiuslibet facile obuiis etiam de reparatione Ecclesiae parochialis dicendum erit, eam spectato sine, & obligatione concurrenti ad media, onus communitatis seu Parochianorum esse. Quamuis vero Parochiani secundam constitutionem concilii Tridentini nunc in subsidium tantum teneantur; nihil tamen in primaena & solitaria ipsorum obligatione immutatum fuit. Aequitas enim exigit, Parochianos ab implenda obligatione tam diu immunos esse, quamdiu media reficiendi praesto sunt, siue ab ipsis iam olim pro perpetuis temporibus suppeditata, siue ex aliorum mera liberalitate ad hunc finem profecta fuerint; siue haec media sine adhuc penes ipsam Ecclesiam parochialem, siue cum onere reficiendi ab aliis fuerint adquisita. Eiusmodi impensae tantum inuitu finis differunt ab illis, quas ciues in Republica ad pontes construendos, ad vias muniendas, aliaue aedificia publica, & quaecunque securitatis internae & externae media facere tenentur; sicut vero instante necessitate operis publici ciuibus noua tributa iuste imperari nequeunt, si per redditus stabiles, aut per tributa in aerarium ad hunc finem collata de expensis faciendis iam pronisum fuerit; ita etiam impensae ad Ecclesias reficiendas ex ipsis Ecclesiarum redditibus in hunc finem constitutis primum defumendae erunt, his vero nullibi, neque penes Ecclesias, neque penes alios extantibus, aut saltem non sufficientibus, communitas Parochianorum onus demum in se suscipere tenebitur.

*Ecclesiae
ref. ad onera
coetus
par. pertinet.*

§. LXVII.

Si natura oneris, de quo loquor, & leges ecclesiasticae de eolatae penitus considerentur, quatuor reperiuntur classes eorum, quibus illud incumbit; ita quidem, vt primum inter eos locum

H 2

*Quatuor
reperiuntur
classes
eorum, quibus
ad ref. tenentur.*

occupet ipsa fabrica Ecclesiae parochialis; *alterum* illi, qui reditus ex Ecclesia parochiali provenientes percipiunt; *tertium* Patroni, quibus ea solum, quae patronatus inesse solent, iura competunt; *quartum* denique Parochiani. Unde perspicitur, Ecclesiae fabricam, quae agmen quasi correorum debendi ducit, semper primario, Parochianos vero, qui illud claudunt, in subsidium tantum, e contra ordines intermedios, secundum & tertium, sub diverso respectu ad classem aliquam subsequenter, aut praecedentem, modo primario, modo in subsidium teneri. Cumque onus reparandi ex diuersis causis eidem subiecto incumbere possit, velut Patrono, qui etiam iure decimandi gaudet, idem subiectum etiam diuerso ianuitu ad diuersas classes referendum erit.

§. LXVIII.

*I. Fabrica
Ecclesiae
paroch.*

I. Fabricam Ecclesiae parochialis ante omnes alios ad reficiendum teneri, praeter ea, quae in capite praecedente (§. XXV. sequ.) disputari, euincunt sequentia decreti Tridentini verba: „parochiales vero Ecclesias, etiam si iuris patronatus sint, ita collapsas (Episcopi) refici, & instaurari procurent ex fructibus & prouentibus quibuscunque, ad easdem Ecclesias quomodocunque pertinentibus, *qui si non fuerint sufficientes*, omnes Patronos & alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt ad praedicta cogant.“ E quibus verbis liquet, impensas primum ex ipsius fabricae redditibus sumendas esse, & tum demum, si reditus illius non suffecerint, alios ad reficiendum cogi posse, consequenter, horum obligationem, si cum illa fabricae comparatur, esse tantum subsidiariam.

§. LXIX.

*II. qui reditus ex
Eccles. pro-
uenientes
percipiunt;*

II. Ecclesiae fabricam in onere refectionis sequuntur, quicunque reditus aliquos ex Ecclesiis parochialibus provenientes percipiunt, qui in diuersis Ecclesiis parochialibus plures esse possunt, aut pauciores; praeter Parochos fere vbique decimatores occurrunt; quaedam Parochiae liberae collationis sunt, quaedam

dam iuri patronatus obnoxiae, atque hae rursus ita, vt vel Patrono tantum ea competant, quae iuris communis sunt, vel vt census antiquus eidem in bonis Ecclesiae referuatus sit, aut nouus in eius fauorem constitutus; atque hos tantum Patronos prouentus percipientes aliis ad hanc classem pertinentibus aequiparari posse, superius (§. LIV.) iam docui. Reperiuntur porro Parochiae pensionibus grauatae, collegiis Canoniorum, monasteriis, certis dignitatibus & officiis vel quoad temporalia & spiritualia simul, vel saltem quoad temporalia incorporatae; omnes eos, in quorum fauorem unio, vel incorporatio facta fuit, item pensionarios ad hanc classem referendos esse, in aprico est; omnes enim & singuli hucusque enumerati redditus aliquos vel immediate vel mediate ex Ecclesiis parochialibus prouenientes percipiunt, proin etiam in generali formula Decreti Tridentini comprehenduntur.

§. LXX.

Non ignoro, plures iuris ecclesiastici interpretes etiam illos, quos modo enumeraui, in suas rursus classes dispescere, vt aliis inuita aliorum beneficium ordinis tribuere videantur, verum nulla solida ratione, nulla lege iuris communis suffragante a); eos ad vnā potius obligatorum classem pertinere, euincit ratio omnibus communis in eo posita, quod redditus ex Ecclesia parochiali prouenientes percipiant; vnde colligitur, nulli quidquam iuris praecipui praeter altero competere, sed aequalem esse omnium obligationem; ex quo porro sequitur, nullum inter ipsos beneficium ordinis repetiri, sed, si onus reparandi ob deficientes redditus fabricae ab hac classe suscipiendum sit, omnes secundum mensuram reddituum perceptorum, ad illud concurrere debere. Lex enim non distinguit, sed omnes sine discrimine, qui redditus percipiunt, ad suscipiendum onus fabricae cogendos esse statuit.

Inter hos beneficium ordinis non obtinet.

a) Thom. DELLERSCHALL in dissert. de iure Patronatus, Coloniae A. 1783 edita pag. 63. Veniantamen inquit, non solum Patronus, sed etiam alii . . . ad reparationem debent concurrere. Sed hos inter sequentem ordinem, deficientem tamen speciali dispositione, consuetudine vel statuto seruandum esse, statuit

DE LOUVREX in suis dissert. canon. diss. 16 n. 8 ad 15: vt ante omnia reparatio Ecclesiae 1) ex prouentibus fabricae ad hunc vnum particulariter destinatis faciendae sit. . . 2) ad illos, qui bonis Ecclesiae fruantur, sequenti ordine recurratur, vt (a) decimatores, decimis vero vel deficientibus, vel excessis (b) Rectores & ministri Ecclesiae . . . ad sumtus in reparationem necessarios ex superfluis bonis ab Ecclesia perceptis adstringantur. 3) Confugiendum est ad illos, qui in Ecclesia reparatione indigente beneficia possident. . . 4) Ad Patronum reuocatur; & denique 5) ad Parochianos, si Ecclesia reparanda sit parochialis. Auctor in fine quidem prouocat ad constitutionem concilii Tridentini, sed ego non video, in quibus verbis illius constitutionis aliqua ratio lateat, decimatores, Ecclesiae rectores aliosque beneficiatos in specialer classes displicendi, vniue praec aliis rursus beneficium ordinis tribuendi. MANTINENAO in dissert. cit. §. 42 num. 6 & 7 pag. 89 Decimatores & Patronos viles ad vnam, Parochos & reliquos beneficiatos ad aliam classem refert, & his intuitu priorum beneficium ordinis tribuit.

§. LXXI.

III. tenon-
tuz Patro-
ni qua ta-
lis.

III. Aliam classem constituunt Patroni quae tales, siue in Ecclesia & beneficio, siue in Ecclesia tantum, ius patronatus obtineant; conseruatio enim huius iuris cum re, in qua constitutum est, intime connectitur, vt illa pereunte necessario intercidere debeat, atque si Ecclesia collapsa per alium ad id minime obligatum reaedificaretur, in hunc etiam ius patronatus, quod per nouam exstructionem denuo constitueretur, transire deberet. Ideoque a iuris ecclesiastici interpretibus Ecclesiae resectio inter iura onerosa Patronorum refertur, quia iuris simul & oneris rationem complectitur: oneris quidem, quod non nisi cum re, per quam primum constitutum fuit, conseruari possit; iuris vero, quod Patrono facultas competat, quemcumque alium onus resectionis in se suscipere, atque hoc modo ius Patronatus sibi acquirere volentem excludendi. Dixi Patronos quae tales, seu ratione habita iurium, quae patronatui per se insunt, ad hanc classem referendos esse; quod si enim Patrono census ex redditibus Ecclesiae parochialis constitutus fuerit, aut ius decimandi competat, intuitu horum redituum etiam ad classem secundam pertinebit.

§. LXXII.

Continua-
tio.

Nulla quidem lex expressa reperitur, e cuius verbis fatu-
cide deduci posset, Patronos specialem classem constituere; cum
tamen

tamen omnes, qui de eorum iuribus & obligationibus egerant, in eo facile conveniant, Patrono qua tali onus refectionis incumbere, dummodo ius patronatus in Ecclesia conservare, illudque non potius dimittere, quam onus subire velit, paucis adhuc rationes subducendae erunt, e quibus appareat, Patronos non alteri cuidam classi adfociari posse, sed hoc praecise, quem ipsis assignavi, loco collocandos esse. Neminem mihi contradicturum puto, si Patronos ab onere reficiendi tamdiu immunes esse statuam, quamdiu redditus ecclesiastici, e quibus refectionis praestari potest, superant; in hac enim hypothese extant adhuc media illa, per quae Patronus perpetuitati Ecclesiae a se extractae prospicere voluit; his igitur mediis siue penes ipsam fabricam, siue penes alios cum onere reparandi adhuc extantibus, Patronus denuo ad eorundem praestationem iuste adigi nequit. Tota ratio obligationis Patrono qua tali incumbens e conservatione sui iuris derivanda est, quod cum re interiturum esset; quodsi igitur res ipsa, nimirum Ecclesia, vel a fabrica, vel ab illis, ad quos redditus fabricae perveniunt, servari possit & restitui, nulla rei, a qua ius patronatus originem habet, consequenter nulla iuris patronatus iactura imminet, proin etiam nulla subeundi oneris obligatio. Unde perspicitur, Patronum qua talem cum illis, quos in prima & secunda classe enumeravi, nequidem concurrere debere, multo minus illis esse antereferendum. Nihilominus Patronum in explenda obligatione Parochianos praecire oportebit; eoquod hi non ex mediis in constitutione iuris patronatus suppeditatis, sed e suis facultatibus Ecclesiam collabentem restauraturi essent, consequenter Parochianis extruentibus vota iuris patronatus causa esset interitura.

§. LXXIII.

IV. Denique Parochiani ad refectionem tenentur; horum obligationem tantum subsidiariam esse, indicant verba decreti Tridentini, quod Episcopis iniungit, ut Ecclesias e fabricae prouentibus restaurari curent, qui si non fuerint sufficientes, alios, qui fructus inde prouenientes percipiunt, „aut in illorum defensionem“

*IV. tenentur
Parochiani*

Am Parochianos omnibus remediis opportunis ad praedicta cogant. — Quodsi nimia egestate omnes laborent, ad matrices feu viciniore Ecclesias transferantur. Quinam vero Parochianorum nomine veniant, quique inter eos hac constitutione comprehendantur, alibi (§. LVIII seq.) iam ostendi.

§. LXXIV.

De suscipienda refectiore auctiori sunt omnes quorum interest.

Quoad modum & mensuram obligationis a singulis explendae quaedam generatim praemittenda sunt: imprimis, antequam ad refectorem vel nouae Ecclesiae extruccionem procedatur, citandi & audiendi erunt illi, de quorum iuribus & oneribus agitur a). Duplex autem erit obiectum discussionis cum ipsis instituendae: primum versatur circa necessitatem & modum aedificii extruendi vel reficiendi; alterum circa facultates eorum, qui ad extruendum tenentur. Quoad primum interest, an per reparationem aliquam maiorem Ecclesiae ruinam minanti succurri, illaque per diuturnum tempus adhuc conseruari possit, an vero Ecclesia veteri diruta noua sit extruenda? An coetus fidelium a tempore prioris extruccionis ita creuerit, ut intra eundem ambitum non facile possit contineri? e qua materia novum templum sit extruendum, quae forma, quaeuam ornamenta nouum aedificium commendare debeant? & quae his adfinia sunt. Quilibet facile perspiciet, has & similes quaestiones cum expensis in structuram faciendis esse connexas, ideoque eorum, qui ad reficiendum tenentur, interesse, ne ultra rationes necessitatis, aut publicae utilitatis, ad impensas faciendas adigantur; plurimum in his definiendis arbitrium peritorum valebit.

a) Cap. 3. de Eccles. aedif.

§. LXXV.

Duplex discussionis instituendae obiectum.

Alteram discussionis instituendae obiectum concernit facultates eorum, quibus onus reficiendi nunc actu incumbit, qui tamen non solum, sed si se prorsus immunes, vel subeundo oneri saltem

saltem integro impares esse contendant, etiam illi audiendi erunt, qui in eorum defectu in subsidium tenerentur; horum enim interest, ne in suum praeiudicium primario obligatis vel aliqua immunitas tribuatur, vel ne partem saltem reddituum, qui in constructionem templi expendendi essent, in usus suos conuertant. Quod si, rem exemplo illustrabo, e redditibus fabricae tum inutilibus, tum immodici sumtus fiant, non tam ad excitandam & colendam religionem, quam ad explicandum luxum & ostentationem, ad sensuum oblectamenta, & suffocandum internae religionis spiritum comparati, iusta erit eorum contradictio, qui in locum deficientis fabricae in subsidium tenentur. Saepius etiam de quantitate facultatum quaestio mouetur, cum inter redditus ex Ecclesia parochiali provenientes quandoque casuales, velut laudemia; quandoque stabiles quidem, sed pro maiore minoreue annorum fertilitate, modo pinguiores, modo tenuiores reperiantur, velut proventus agrorum & vinearum, decimarum lucra; cum porro in quorundam reddituum, non item in aliorum perceptionem expensae faciendae sint, omnium cum expensarum reddituum calculus ita subducendus erit, ut annus communis eruatur, qui sine percipientis, aut aliorum in subsidium obligatorum praeiudicio pro norma adhiberi possit.

§. LXXVI.

Quamuis vero audiendi sint omnes, quorum iura & obligationes negotium suscipiendum concernit, nulla tamen ipsis facultas comperit, refectionem necessariam per suum dissentium impediendi; sed totus effectus iuris interueniendi in eo consistit, ut rationes a singulis in suum fauorem propositae inter se, & eum legibus comparandae, & ponderandae quidem sint, pro re nata tamen etiam contradicentium consensus a superiore possit suppleri, ita ut appellationi contra decretum superioris forsam interpositae effectus suspensiuus non sit tribuendus a), eoquod leges Ecclesiarum refectionem illis negotiis, quae moram non ferunt, adnumerent. Superior ille in regula ecclesiasticus est; si

Contradictorium consensus pro re nata suppleri potest.

vero de auertendo periculo, vitae ciuium ex ruina Ecclesiae imminente, vel simili obiecto Politiae agatur, etiam Magistratus ciuilis, quamuis non implorati, auctoritatem iuste interuenire, indubium est.

a) Mandamus, quatenus, si res ita se habet, Ecclesiam ibi aedifices, & in ea sacerdotem, sublato appellationis oblauculo, ad praesentationem Rectoris Ecclesiae maioris, cum canonico fundatoris assensu intras . . . si vero persona matricis Ecclesiae virum idoneum praesentare distulerit, vel opus illud voluerit impedire, in nihilominus facias idem opus ad perfectionem deducere, cap. 3. de Eccles. aedif. Similiter concilium Tridentinum eos, qui ad refectionem tenentur, cogi praecipit, quaeuque appellatione, exemptione & contradictione remota, Sess. XXI. cap. 7 & 8 de refo. m. Locorum Ordinarii Ecclesias quascunque, quomolibet exemptas auctoritate apostolica visitare tenentur, & opportunis iuris remediis prouidero, ut, quae reparatione indigent, reparentur. . . appellationibus, privilegiis, consuetudinibus, etiam ab immemoriali tempore praescriptis, . . . penitus exclusis. Sess. VII. cap. 8 de ref.

§. LXXXVII.

Mensura
obligatio-
nis a classe
I. & II.
implendae.

Praemissis his obseruationibus generalibus iam de mensura oneris praescribenda singulis, quos ordo reficiendi tangit, videamus. I. Fabricam Ecclesiae in regula tantum e redditibus bonorum communium, & quantum, deductis expensis in cultum religionis faciendis, ex illis superest, obligari, superius exposui, (§. XXVI. seq.) cum de interpretatione decreti Tridentini agerem. II. In secunda classe insignis differentia deprehenditur inter Parochos actuales, & eos, qui titulo incorporationis redditus ecclesiasticos percipiunt; illis nimirum intuitu ministerii exhibendi congrua sustentatio debetur, ita vt ex iis tantum, quae deductis vitae subsidiis supersunt, ad reficiendum obligentur (§. XXXVI). Econtra aliis quibuscunque similis titulus non competit, sibi quidquam tribuendi, si quando Ecclesiae necessitas exigit, vt re- ditus omnes in refectionem erogentur. Neque exceptio aliqua statuenda est intuitu Parochorum primitiuorum, habitualium, seu eorum, in quorum fauorem Ecclesiae parochiales quoad temporalia simul & spiritualia incorporatae fuerunt; quamuis enim ministerium parochiale per sacerdotem vicarium obiri curent, eorum ius tamen inde pinguius fieri nequit, quia congrua sustentatio

tatio vicario debetur, & si Parochus primitivus eandem etiam sibi tribuere, vel ex redditibus parochialibus quidquam decerpere vellet, reuera non omnes redditus, qui deducta sustentatione necessarii ministri supersunt, ad reparationem Ecclesiae impenderentur, id quod tamen leges ecclesiasticae fieri praecipiunt.

§. LXXVIII.

Porro singulis, quos ad secundam classem retuli, (§. XIX.) pro mensura lucri, quod e redditibus Ecclesiae percipiunt, ad ferendum onus concurrere debent; lucrum vero non intelligitur, nisi deductis expensis in perceptionem forsan faciendis *a*). Ad eruendam mensuram oneris ab vnoquoque ferendi calculus ita ineundus erit, ut summa omnium reddituum e bonis Ecclesiae ad hanc classem peruenientium cum summa omnium expensarum in refectionem faciendarum comparetur, & sua dein vnicuique pars secundum regulam societatis assignetur. Quodsi ponamus, subducto calculo reperiri, quod ad Parochum praeter congruam $\frac{1}{3}$ illorum reddituum perueniat, etiam quartam partem totius oneris in se suscipere tenebitur.

*Continuus
no.*

a) Arg. cap. 28 de decimis.

§. LXXIX.

Quodsi in defectu priorum classium ad III, siue ad Patronos, quos steriles vocant, onus fabricae deuoluatur, illud totum, aut pro maiori, saltem parte ab ipsis ferendum erit, si ius suum cum Ecclesia, cui inhaeret, velint conseruare. Sunt, qui Patronos saluo tantum beneficio competentiae teneri putant *a*), cuius opinionis tamen nullam solidam rationem perspicio. Quamuis enim Patronis ad inopiam vergentibus, e redditibus Ecclesiae modeste succurrendum sit *b*); in nostra tamen hypothesi redditus Ecclesiae tam tenues sunt, vt nequidem ad eius conseruationem sufficiant, multo minus ad alimenta Patrono exhibenda superabundent. Totum igitur quaestionis decidendae momentum in eo versabitur,

*Ad quid
teneantur
III. Pa-
troni steri-
les?*

trum Patronus rem, seu Ecclesiam, cui ius ipsius inhaeret, conferuare possit ac velit? Si a quarta classe, seu Parochianis Ecclesia extruatur, etiam si Patronus nil praestare potuerit, omnino dicendum erit, Ecclesiam nunc extructam neque nouae liberalitati Patroni, neque antiquae, seu redditibus ex eius fundatione & dotatione prouenientibus originem suam debere, proin etiam ius patronatus cum Ecclesia destructa interiisse. Si plures sint compatroni, mensura oneris iuri, ferendi suffragium in nominatione Parochi, debet esse proportionata.

a) MARTINENGO in dissert. cit. §. 42 num. VI,

b) c. 29 & 30 C. XVI. qu. 7. cap. 25 de iure patron.

§. LXXX.

IV. Parochiani pro modo facultatum contribuent.

Plurimum dubitationis intuitu IV. classis, nimirum Parochianorum oritur, quae ad tria praecipua momenta redit: *primum*, an mensura oneris aequaliter in singulos, seu in capita distribuenda sit, vel an cuiusque Parochiani facultatibus debeat esse proportionata? *Alterum* in eo versatur, an portiones gregis parochiani, quae filiales nominantur, aequo modo cum illis teneantur concurrere, qui in loco Ecclesiae parochialis domicilium habent? *tertium* denique, quatenam sit implendae obligationis mensura intuitu eorum, qui diuersae religioni sunt addicti?

Quod ad primam quaestionem attinet, superius iam monui, refectionem Ecclesiae ad onera communitatis pertinere; atqui iuri naturae consentaneum esse videtur, ut, si finis aequo modo ad singula communitatis membra spectet, singula etiam pari modo ad media adhibenda concurrant, neque alicui plus oneris iniungatur, nisi plus capiat emolumentum; utilitatem vero spiritualem, quae mediatas extructionis Ecclesiarum finis est, inter omnes Parochianos aequalem, nequaquam amplioribus, aut tenuioribus eorum facultatibus commensuratum esse, nemo non videt. E quo porro sequi videtur, ab illis, qui intra fines Parochiae bona immobilia possident quidem, sed domicilium in ea non constituerunt,

tuerunt, proin Parochiani non sunt, nihil prorsus exigi posse, eoquod ex Ecclesia nullam percipiant vilitatem. Verum aliud iuris positivi analogia, vix non omnium Dioecesium observantia roborata suadet. Quodsi enim vsque ad instituta Iudaeorum in lege veteri redeamus, notum est, ministris religionis potissimum per decimarum perceptionem de sustentatione prorsum fuisse; quamvis vero sacrorum communio inter omnia illius religiosae societatis membra aequalis fuerit, aequalis in singula vilitas spiritualis promanaverit, vnusquisque tamen secundum mensuram fructuum e bonis immobilibus perceptorum ad communem finem conferebat. Cum in Ecclesia christiana expensae in cultum religionis primum ex oblationibus fidelium promerentur, Patres eos hortati sunt, vt quilibet pro modo facultatum suarum conferret *a*). Deinceps Ecclesiae ministris alimenta plurimam partem e decimis exhibita fuerunt, & etiamnum exhibentur, vt, qui plus agri possidet, plus etiam ad expensas in cultum religionis faciendas contribuat. Hinc iam saeculo XII. in quibusdam regionibus consuetudo inualuit, haec onera, vtut personalia, ita considerandi, quasi in res immobiles intra fines Parochiae fitas scripta essent, & cuius rei possessori, quamvis Parochianus non sit, incumberebunt *b*). Nunc igitur onus rescindi a Parochianis suscipiendum, tam inter Catholicos, quam inter Protestantes *c*), velut alia communitatum onera, ad normam contributionum inter singula membra distribuitur, & praecipue facultatum cuiusque ratio habetur.

a) Conf. THOMASSINI V. & N. E. D. P. III. L. I. cap. 2 & 3.

b) Id quod perspicitur ex rescripto LVCI III. de A. 1181 relato in cap. 20 de decimis: „decimas vero messium, vel fructuum arborum, si coluerint in alia Parochia, quam in ea, in qua habitant, quoniam a diuersis diuersa consuetudo tenetur, tu eligas in hoc casu, quod per consuetudinem diu obtentam ibidem noueris obseruatum.“

c) J. H. BOEHMER J. E. P. Lib. III. tit. 48 num. 74 & eiusdem *iur. paroch.* Sect. VII. cap. 3. §. 8. CARPZOV *Iurisprucl. consil.* Lib. II. tit. 12. dec. 349.

§. LXXXI.

*An etiam
coetus filia-
les?*

Filialistae Ecclesiam propriam non habentes, aut, si quam habeant, ad eorum tantum petitionem & commoditatem extructam, si insuper proprio sacerdote sacris in illa operante destituantur, aequo modo cum aliis Parochianis ad refectionem tenentur; quae mensura implendae ab ipsis obligationis communis in Decreto Tridentino fundatur, quod generatim Parochianos, quales utique sunt incolae loci filialis, cogi praecipit. Praeterea usus Ecclesiae parochialis Filialistis in hac hypothese cum aliis Parochianis adhuc communis est; imo sumtus ab ipsis in extructionem propriae Ecclesiae facti, merae liberalitatis & operis supererogatorii rationem habent, quo etiam perfecto ab onere in utilitatem publicam ferendo non liberantur. Quodsi vero propriam habeant Ecclesiam, ex causa necessitatis extructam, & proprio utantur sacerdote sacris in illa operante, eos non teneri ad refectionem Ecclesiae parochialis, alibi (§. LX.) iam ostendi.

§. LXXXII.

*Ad quid
teneantur
Protestan-
tes?*

Si in Ecclesia reparanda simultaneum religionis catholicae & protestanticae exercitium vigeat, coetus catholicus & A. C. adductus intuitu Ecclesiae velut socii condomini considerandi erunt, quorum iura proprietatis & usus aequalia sunt, siue plura, siue pauciora sint alterutrius coetus membra. Sumtus igitur in refectionem Ecclesiae communis faciendi primum in duas partes aequales diuidendi sunt, & a quouis coetu, facta inter socios distributione pro modo facultatum, dimidium praestandum erit. Si vero alterius religionis affectae, qui neque publicum neque priuatum suae religionis exercitium habent, intra fines Parochiae commorentur, meo iudicio eodem iure censendi sunt, ac illi, qui Parochiani quidem non sunt, neque Ecclesia parochiali utuntur, sed praedia intra fines Parochiae possident; quodsi igitur isti, ut paulo ante (§. LXXX.) obseruavi, lege vel consuetudine pro mensura possessionum ad contribuendum teneantur, etiam

etiam diuersitas religionis nullam ipsis ab hoc onere praestabit immunitatem. In his enim adiunctis neque parochialitatis, neque religionis ratio habetur; sed an & quantum praedictorum quisque in Parochia possideat, quantumque ex illis ad alia onera communitatis conferre teneatur a).

a) In hanc rem inquit Auctor libri cit. *Der Reichshofrath* &c. Tom. II. pag. 221: „Es versteht sich aber allemal, daß durch ein vogaengiges Landesgesetz gebothen werden kann, daß wer immer in einer Pfarre wohne, zu der Pfarr- und Kirchenunterhalt auch das Seinige beytragen müsse; dann so bequemt sich derjenige zu dem vorhandenen Gesetz, welcher dahin zieht, . . . Und so würde demnachst der Jud, wie der Katholik, und dieser, wie der Protestant das Seinige beytragen müssen.“ Facile perspicitur, idem argumentum valere, si lex aut consuetudo praedia intra Parochiam sita contributioni subiciat, nulla habita ratione domicilii, a possessore extra fines Parochiae constituti.

§. LXXXIII.

A quocunque demum Ecclesia parochialis reparatur, vix *Parochia- ni semper operas praestant.* non ubique obseruantia introductum, aut legibus specialibus constitutum est, vt Parochiani necessarias ad extruendum operas (Hand und Spaandienste) praestent; in quem finem subditis in territorio Herbipolensi iniunctum fuit: „Wir wollen und verordnen dahero gnaedigst, daß es bey der von unsern dritten Regierungs- Vorfahrer unter dem 20 Decemb. 1740 erlassenen Erklarung sein Verbleiben und Bewenden haben solle, dergestalten, daß in Zukunft die Pfarrkinder sowohl in der Mutterkirche als eingehoerigen Filialen bey Erbauung des Orts Pfarrkirche und Hof, nnter welchem letzteren die Pfarrschener und Stallungen, als ein necessarium und pertinens, ebenfalls mitzuverstehen sind, pro rata zu leidentlichen Hand- und Fuhrfrohnen, und weilen solches zu der Ehre Gottes, auch des Unterthanen selbst eigenen Seelentrost beschicht, unentgeltlich, und ohne einen Trunk und Brod dieserwegen, es waere dann, daß solches aus guten Willen gereicht werden wollte, praetendiren zu koennen, ohne Unterschied um so mehr anzuweisen feyen, als solches kundbarlich . . . durch allgemeine Kirchen- und Gemeindegelthe, und in deren billigen Verfolg die mit einer von

von unfürdenklichen Jahren hergebrachten, und mit taeglichen indicatis bestaerkten Landesobfervanz bestaettigten natürlichen Rechte, und selbst redende der Sachen Billigkeit erfordern. Und weil dann dieser unumstoessliche Grundfatz keinen Abfall leiden mag, so sind auch allerdings die dritteren, welchen das onus fabricae obliegt, hierunter zu verstehen, und mit begriffen a).
Dein in hac ordinatione cauetur, ne operae intempestive exigantur, neue in exigendis excedatur modus; denique, quid in casu praerensae immunitatis ab operis praestandis, ob imminens forsitan ex mora periculum, agendum sit, decernitur.

a) Wirab. Mandaten-Sammlung T. II, pag. 746.

C A P V T IV.

DE ONERE REFICIENDI AEDES PAROCHIALES.

§. LXXXIV.

*In iure
com. s. rip-
ro de aedi-
bus par-
o. nil reperi-
tur;*

Nullibi in iure ecclesiastico communi canon aliquis reperitur, qui necessitatem extruendi domum speciatim ad habitacionem Parochi destinata adstrueret; nec facile prioribus Ecclesiae saeculis occasio dari potuit, intuitu huius obiecti quidquam generali constitutione definiendi. Presbyteri enim rurales plerumque in villis Nobilium instituti erant, vt in oratoriis ad cultum religionis ibidem extractis sacra administrarent; & cum Nobilium sumptibus alerentur, nulla Praefulis Ecclesiae de eorum victu vel habitacione cura fuit. Postquam dein haec oratoria priuata in Ecclesias parochiales conuersa fuerunt, iure consuetudinario potius, quam scripto inualuit, vt domus parochialis ad integritatem fundacionis Parochiae pertinere censeretur.

§. LXXXV.

*sed inter-
pretibus
originem
suam debe-
re viden-
tur.*

Cum enim interpretes iuris ecclesiastici viderent, Parochos, qua necessario religionis ministro, tam iure naturali, quam secundum

eundem praescriptum legum ecclesiasticarum, congruam sustentationem deberi, hanc vero secundum ius civile romanum etiam habitationem complecti a), non dubitasse videntur, aedes ad habitationem Parochi destinatas extruendas, & ab illis, quibus onus Parochiae conseruandae incumbit, reficiendas esse. Verum ex iure petendi congruam sustentationem id quidem recte deducitur, Parocho subsidia temporalia, non tantum ad victum & vestitum, sed etiam ad habitationem comparandam deberi, nequaquam vero aedes in hunc finem extruendas, & perpetuo conseruandas esse. Sicut nimirum recte dicitur, Parocho de victu & vestitu prouisum esse, etiam si nec cibus, nec potus, nec vestes praebentur, dummodo ipsi reditus assignentur, e quibus haec omnia sibi comparare possit, ita & de habitatione Parocho provideri poterit, id quod intuitu aliorum clericorum & ministrorum Reipublicae saepissime fieri cernimus, quamuis & his pro modo sui muneris congrua sustentatio debeat. Nihilominus fateri oportet, saepe difficile fore, ruri habitationem Parocho conuenientem reperire; ideo rationes necessitatis, aut vilitatis saltem & decori suadere videntur, vt in erectione Parochiae etiam aedium ad habitationem Parochi destinatarum ratio habeatur.

a) „Legatis alimentis, cibaria & vestitus, & habitatio debebitur, quia sine his ali corpus non potest.“ L. 6. Dig. de alimentis vel cibor. leg. quem textum fere omnes afferunt, qui de extruptione & reparatione aedium parochialium disputant; sed indubium est, legatario etiam per conductionem habitationis satisfacere posse.

§. LXXXVI.

Ex principio generali, plurimis legibus agnito, quodlibet *Reparationes minores incumbunt Parocho.* beneficium ecclesiasticum integrum conseruandum esse a), & aedes ad integritatem beneficii parochialis pertinere, per se fuit necessitas, easdem reficiendi; quibusnam hoc onus incumbat, modo videamus. Inprimis hic discernendum est inter reparationes minores & maiores; illas, quae sumtibus modicis, viri prudentis arbitrio aestimandis, fieri possunt, ab ipso Parocho praestandas esse, inter omnes conuenit b); Parochus enim iure vsusfructus

K

gau-

gaudet, usufructuarium autem leges ad sumtus modicos in conseruationem rei fructuariae praestandos adstringunt e). Si quid igitur in hisce neglectum, vel illis, quibus reparationes maiores incumbunt, damnum illatum fuerit, totum ab ipso, vel eius haeredibus refarciendum erit. Quae ut exactius in huius Dioecesi obseruentur, Decani rurales, aecitis etiam peritis in arte, inuigilare debent; & si nihilominus quidquam neglectum fuisse, post Parochi obitum deprehendatur, testamentarii, quantum ad satisfaciendum obligationi, vel ad damnum datum refarciendum sufficit, e defuncti haereditate retinere iubentur d). Plurimae etiam extant constitutiones dioecesanae de modica summa pecuniae a singulis Parochis ad reparationes minores aedium suarum quotannis apud Decanum ruralem, vel magistratum saecularem deponenda, quae tamen non ubique in usum deductae fuerunt e).

a) Vid. BERARDI comment. in ius eccles. uniu. Tom. II, dissert. I. cap. 3 de ingenta beneficiorum perpetuitate.

b) BENEDICTVS XIV. instit. C. num. 21 & 22. V. ESPEN J. E. II. Part. II. tit. 34 cap. 8. n. 24. J. H. BOEHMER ius paroch. Sect. V. cap. 2 §. 19. BARBOSA de officio & potest. Par. Par. I. cap. 13 & alii ab his cit.

c) „Eum, ad quem usufructus pertinet, facta testis suis sumtibus praestare debere, explorati iuris est. Proinde si quid ultra, quam impendi debeat, erogatum potes docere, solemniter reposes. l. 7 C. de usufructu. „Quoniam igitur omnis fructus rei ad eum pertinet, reficere quoque eum aedes per arbitrium cogit, Celsus scribit . . . De modo facta testis habendi quaerit: si quae vetustate corruerunt, reficere non cogitur, modica igitur refectio ad eum pertinet.“ l. 7 §. 2. Dig. eod. tit. §. 38 Inst. de rer. diuis.

d) Wirzb. Mandaten-Sammlung Tom. II, pag. 832.

e) Ibid. Tom. I. pag. 345. 370, Tom. II. pag. 39.

§. LXXXVII.

*Maiores
praestan-
das sunt ab
illis, qui
congruam
par. sup-
plere te-
nentur;*

Altera quaestio in eo versatur, ad quos reparatio aedium parochialium pertineat, si sumtus non modici ad eam requirantur? Ad definiendam hanc quaestionem regula generalis valebit: onus reficiendi aedes parochiales ex iisdem principiis aestimandum esse, quae superius de refectioe Ecclesiarum parochialium tradidi, proin ad omnes illos, & eodem ordine ac modo pertinere, quos asserui

asserui ad Ecclesias reparandas teneri. Si sola auctoritate decernendum esset, facile consensum plurimorum eruditorum tum catholicorum, tum protestantium asserere possem a); sed quibus argumentis regula nitatur, quas patiatur exceptiones, videamus.

- a) „His autem (statutis localibus, paucis) deficientibus sat aequum apparet, ut ea ratio servetur circa reparationem domus, quae praescribitur circa reparationem Ecclesiae, cuius ipsa domus parochialis quaedam appendix videtur.“ V. ESPER J. E. U. Par. II. tit. 34 cap. 7 num. 20. „Nominis Ecclesiae hoc loco intelliguntur etiam aedes habitationi Parochi vel beneficiati destinatae.“ P. J. R. F. G. G. E. Inst. J. E. ad tit. de Eccles. aedif. §. 797. „Eundem (decimatorem deficiente Ecclesiae fabrica) teneri ad aedes Parocho comparandas conservandasque, exinde erui videtur quia & sine his, saltem per sequelam, cultus ipse divinus commode haberi nequit.“ ANT. SCHMITT Inst. J. E. P. II: §. 132, BENED. XIV. Inst. C. J. H. BOEHMER *ius par.* Sect. VII. cap. 3 §. 3.

§. LXXXVIII.

Cum aliquando vsu & observantia receptum, aut legibus ^{consequen-} particularibus definitum sit, aedes parochiales competentiae ^{ter incum-} pastoralis partem efficere, recte inferitur, onus reficiendi per ^{bunt pri-} tinere ad illos, quibus incumbit obligatio, competentiam, si ^{maro fa-} quando deficiat, exhibendi vel supplendi. Iam vero indubium est, congruam Parochi sustentationem primario ex ipsius Ecclesiae redditibus depromendam & supplendam esse; Ecclesia enim parochialis & beneficium eum ea connexum totum aliquod, & causam velut indivisam constituunt; finis extructionis Ecclesiae non est is, ut Ecclesia existat, sed ut religio a coetu Fidelium, adhibito sacrorum ministro, in ea coli, & cura animarum exerceri possit; quaecumque igitur hunc finem impediunt, Ecclesiam reddunt prorsus inutilem; vnde porro inferendum est, ea, quibus Parochus carere nequit, ad ipsius Ecclesiae necessitates referenda, & ex eius redditibus comparanda esse, sicut vicissim abundantes redditus beneficii parochialis ad sublevanda onera deficientis fabricae sunt impendendi. Illa igitur separatio bonorum & reddituum beneficii & Ecclesiae, etiam si in ipsa fundatione & erectione iam facta fuerit, obligationem ferendi mutui auxilii non tollit, sed faciliorem oeconomiam, administrationem

& usum eidem ansam dedisse, censendum est. Sicut etiam massam bonorum & reddituum Ecclesiis cathedralibus & collegiatis competentium in plures portiones, quas officia nominant, diuisam esse cernimus, quae, licet singula speciatim administrantur, & ad fines particulares sint destinata, si quod deficiat, sibi mutuam opem praestare tenentur.

§. LXXXIX.

*probatur
ex decretis
concilii Tri-
dentini.*

Quantum in decretis concilii Tridentini nullibi aedium parochialium mentio reperitur, si tamen, quod nunc ubique receptum est, aedes ad habitationem Parochi destinatae ad integritatem congruae pastoralis pertineant, menti Patrum concilii omnino consentaneum est, ut sumtus extractionis & refectionis ex ipsius Ecclesiae prouentibus praestentur; ubicunque enim de sustentatione parochorum loquuntur, eam primario e redditibus Ecclesiae hauriendam esse decernunt. Cum nouas Parochias ob locorum distantiam vel itineris difficultatem erigendas esse praecipissent, constituerunt: „illis sacerdotibus, qui de nouo erunt Ecclesiis nouiter erectis praeficiendi, *competens assignetur portio arbitrio Episcopi ex fructibus ad Ecclesiam matricem quomodocunque pertinentibus a*). Quod si ea, quae ad congruam sustentationem pertinent, pro Parochia in loco filiali erigenda, deinceps rationes prorsus separatas habitura, e redditibus Ecclesiae parochialis praestanda sint, a potiori fabricae reditus impendendi erunt, si proprio ipsius Ecclesiae Parocho quidquam defit, quod ad integritatem congruae pertineat. Hanc obligationem vero primario incumbere fabricae, iam inde colligitur, quod Patres concilii, omiſſis aliis, reditus Ecclesiae adhiberi praecipiant; id quod etiam euincunt verba subsequencia decreti citati per modum exceptionis proposita: & *si necesse fuerit*, (Episcopus) compellere possit populum, ea subministrare, quae sufficiant ad vitam dictorum sacerdotum sustentandam.“

a) Sess. XXI. cap. 4. de res.

Aliud decretum in hanc rem occurrit Sess. XXIV cap. 13 *Continua.*
110.
de ref., in quo statuitur: „in parochialibus etiam Ecclesiis, quarum fructus aequè adeo exigui sunt, ut debitum nequeant oneribus satisfacere, curabit Episcopus, si per beneficiorum unione fieri non possit, ut primitiarum vel decimarum assignatione . . . tantum redigatur, quod pro rectoris ac Parochiae necessitate decenter sufficiat.“ Quae verba, si curatius perpendantur, innuunt, tum demum Rectori Ecclesiae parochialis de sustentatione aliunde providendum esse, si tam tenues sint redditus Ecclesiae, ut debitum oneribus satisfacere nequeat; primo loco igitur inter debita ipsius Ecclesiae referuntur, quae necessitates Rectoris concernunt. Decretis hucusque recitatis inniti videtur illa declaratio Cardinalium concilii Tridentini interpretum, quae refectiones Ecclesiarum & aedium parochialium iisdem iuribus regi docet a). Quamvis vero declarationibus huius Congregationis vis legum tribui nequeat, nisi in aliqua Dioecesi promulgatae, vel speciatim receptae fuerint, in iis tamen, quae commoda Curiae romanae non concernunt, doctae interpretationis auctoritate pollent. Argumentis hucusque allatis consentanea est ordinatio dioecesana Herbipolensis, quae resectio aedium parochialium, sicut ipsius Ecclesiae, primum fabricae iniungitur b).

a) Eam assertit BARNOSA de officio & potestate Parochi P. I. cap. 13 num. 13 his verbis: „idem censuit S. Congregatio de domibus pro necessaria Parochi habitatio intelligendum, quod de Ecclesiis parochialibus decilum est, omni contradictione remota.“

b) Sammlung der Wirzb. Landes-Perorchi. Tom. I. pag. 356.

*Secundo
socio tenen-
tur illi, a
quibus re-
ditus Ec-
cles. par-
percipiun-
tur.*

Deficiente fabrica Ecclesiae etiam aliis, a quibus redditus Ecclesiae parochialis percipiuntur, reparationem aedium incumbere, inde perspicuum est, quod Parochi congruam, cuius pars esse censetur habitatio, supplere teneantur. Ad hanc classem potissimum referendi sunt illi, in quorum favorem Ecclesiae parochiales vel quoad temporalia tantum, vel etiam quoad spiritualia sunt incorporatae. De horum obligatione, Parochis actualibus, seu vicariis congruam praestandi plura, ut alias leges taceam, extant decreta concilii Tridentini, quod vicario tertiam, minorem maioremve fructuum portionem, arbitrio Episcopi, etiam super re certa assignandam esse praecipit a). Atque indubium est, decimatoribus onus supplendi congruam pastorem, consequenter & obligationem reparandi aedes parochiales incumbere; ita enim lege speciali cautum est: „vbi autem per huiusmodi concessionem decimarum parochiales Ecclesias ad grauari contingit, quod earum Rectores de ipsarum redditibus congrue sustentari, & commode iura episcopalia exhibere non possunt, provideatur per locorum Ordinarios, & ordinetur taliter, quod eisdem Rectoribus tantum relinquatur de illarum proventibus, quod exinde competentem sustentationem habere, & episcopalia iura tollere valeant, aliaque onera debita supportare“ b); quam constitutionem sequi videtur concilium Tridentinum, cum per decimarum assignationem conferri praecipit, quae ad necessitates Rectoris decenter possint sufficere c).

a) Sess. VII, cap. 7. Sess. XXI, cap. 6. Sess. XXV, cap. 16, de reformis

b) Cap. 2. §. 2 de decimis in 6to.

c) Sess. XXIV, cap. 33 de ref.

§. XCII.

Ex iis, quae hucusque disputavi, satis iam patet, eosdem, *Tertio Patroni quos tales.* qui ad reparationem Ecclesiae tenentur, etiam refectionem aedium parochialium in se suscipere debere, atque intuitu utriusque oneris aequo modo beneficium ordinis obtinere, ut primario ex ipsius Ecclesiae redditibus, si vero non sufficiant, ab illis refectione praestanda sit, qui redditus ex Ecclesia provenientes percipiunt. Tertiam classem constituunt Patroni qua tales, nisi iure patronatus se abdicare malint. Sicut vero superius (§. LIV.) contendi, Patrono intuitu beneficii tantum refectionem Ecclesiae, cui ius patronatus in hac hypothese non inhaeret, iniungi non posse, ita ex iisdem rationibus statuendum est, Patrono in Ecclesia tantum onus reparandi aedes parochiales non incumbere; iure patronatus enim in Ecclesia & beneficio inter diversos Patronos diuiso, quilibet tantum ad eam rem, cui ius suum inhaeret, conseruandam suo ordine tenebitur.

§. XCIII.

Sicut sustentatio Parochi ad onera communitatis in subsidium pertinet, ita eidem ex rationibus iam allatis refectione aedium parochialium incumbit. Quodsi igitur a Parochianis onus reparandi suscipiendum sit, in regula illis principiis inhaerendum erit, quae superius tradidi, cum de onere reparandi Ecclesiae parochiales ageretur (LVIII. seq.); cum haec tamen exceptione, ut ex immunitate cuiusdam coetus filialis ab onere refectionis Ecclesiam parochialem non continuo inferri possit, eundem etiam ab onere reparandi aedes parochiales immunem esse; prior enim species immunitatis potissimum e sublata communionem vsus Ecclesiae parochialis, atque ex necessitate propriam Ecclesiam filialem reparandi deducitur; & quamuis filialistae proprio utantur sacerdote, sacra omnia ipsis administrante, nihilominus cum reliquis Parochianis quoad regimen internum eidem adhuc Pastori subsunt, cuius vice sacerdos ille sacra in Ecclesia filiali per-

Denique Parochiani; in regula etiam filialistae Ecclesiam propriam habentes.

peragens fungitur; proin ipsimet etiam cum aliis Parochianis
 eommunis Pastoris necessitatibus prospicere tenentur. Ex analogia
 igitur, & paritate omnium rationum, coetus filialis tum
 demum ab onere concurrenti ad reparationem aedium paro-
 chialium immunis erit, si sacerdoti sacra in Ecclesia filiali admi-
 nistranti etiam de propria habitatione providere debeat; in hac
 enim hypothesi, omnes illas rationes, quas superius de coetuum
 filialium immunitate a refectione Ecclesiarum parochialium at-
 tuli, etiam pro eorum immunitate intuitu aedium parochialium
 pugnare, facile perspicitur.

— 8 —

P O S I T I O N E S

EX

I V R E V N I V E R S O .

1. **D**ivisionem officiorum in perfecta & imperfecta fundamento destitui, affirmari nequit.
2. Dominus suam rem etiam a bonae fidei possessore iure vindicet.
3. Nec tenetur pro re vindicata ad pretii expensi refusionem.
4. Rem nullius per occupationem sibi propriam facere, iure natur. nil impedit.
5. Summum imperium civile immediate a Deo perperam derivatur.
6. Tortura tanquam medium eruendi veritatem, periculosissima est innocentiae, fontibus vero favorabilis, nec reipublicae necessaria; inde non adhibenda.
7. Concordata *Romana* cum Eugenio IV. inita sunt basis iurium, quibus nexus specialis Ecclesiae germanicae cum sede apostolica determinatur. *Vindobonensis* exceptionem constituunt.
8. Si alterutra pars pacifera leges Concordatorum claras non adimpleat, alteri contradicenti a fide data recedere licebit.
9. Ius revisionis in causis Episcoporum *IVLIO I.* per canones *Sardicenses* tributum, ansam dedisse videtur iuri romanorum Pontificum, adpellationes ex uniuersa Ecclesia recipiendi.
10. Quamuis arctus sit rempublicam inter & Ecclesiam nexus, tamen vtriusque potestas a se inuicem independens est.
11. Iura & privilegia ab Episcopis Germaniae iam ante ortam superioritatem territorialem statum aduersa, ex causis salinis publicae ab Imperatore & Imperio quidem, non vero a singulis Imperii statibus in suis territoriis immutari possunt.
12. Ex erronea interpretatione cap. 33. de elect. inualuit opinio, etiam in *A. B.* cap. 21. §. VI. adoptata, quod compromissarius sibi et ipsi votum dare possit.

13. Respublica impedimenta matrimonium dirimentia statuere potest.
14. Decimatori ius, ad decimas naturales regrediendi, integrum manet, licet earum loco per 30 vel 40 annos a debitoribus certa pecuniae quantitas tanquam surrogatum praestita fuerit;
15. Eiusque ius, numerum manipulorum ex vno agro in alterum ad eundem debitorem spectantem continuandi: (*das Recht fort zu zuehlen*) praescriptione immemoriali non interit.
16. Bona etiam mensalia, si adsit legitima causa, obseruatis solemnitatibus alienari possunt.
17. S. R. I. Electoribus ius adcapitulandi exclusiuum attribui nequit.
18. Imperatorem ea, quae a duobus Imper. Collegiis conclusa sunt, etiamsi tertium dissentiat, ratificare sicque ad legem Imp. efferre posse, probabilis videtur.
19. Ius eundi in partes ad causas tantum religionem indirecte concernentes, adstrictum esse, nec ad politicas pertinere, defendi nequit, nisi verbis art. 5. §. 52. J. P. O. vim inferre velimus.
20. Iurisdictio Camerae Imp. in causis ecclesiasticis statum A. C. addictorum fundata est.
21. Status quoque catholicus in suos subditos protestantes iurisdictione ecclesiastica gaudet, ita tamen, ne quidquam contra eorum conscientiam ipsis iniungatur.
22. Sub venatione indefinite concessa venationem etiam superiorem comprehendi, tam indistincte cum Cl. DE SELCHOW aliisque assumi nequit.
23. Communio honorum vniuersalis secundum statuta domicilii inita, ad bona quoque extra territorium sita se extendit.
24. Pacta successoria absque iuramento in Germania sunt firma.
25. Qualitas honorum stemmatica non praesumitur, inde probanda est.
26. Fons iurisdictionis patrimonialis non in potestate dominica, sed concessione Imperantis quaerenda est.

27. Liberi J. Franc. a suis parentibus dotari debent, licet bona propria habeant.
28. Mater & auia liberis nondum separatis iure nostro pupillariter substituere possunt.
29. Quatenus communitio bonorum vniuersalis facta bonorum cessione, soluat, quaerenti respondebo.
30. Ad poenam capitalem sacrilegii qualificati reo vi art. 172. C. C. C. infligendam, haud sufficit sola sacrarii aut templi effraçtio sine ablatione vel possessionis inuasione insecuta, vt putant KRESSIVS & MEISTERVS.
31. Actio aestimatoria cum actione ad poenam publicam cumulari nequit.
32. Ad formam famosi libelli non requiritur, vt auctoris subscriptio nominis desit.
33. Inquisitio generalis ante specialem nunquam negligenda est.
34. Liberi a patria potestate soluti, ius sui haeredis amittunt.
35. Tres dari causas, exhaeredandi fratres & sorores communiter creditur, sed absque fundamento.
36. Haeredis institutio in merum alterius arbitrium conferri non potest.
37. Codicillum in testamento confirmatum absque testibus confectum, esse inualidum, contra I. H. BOEHMERUM defendo.
38. In praescriptione extinctiua *omnium seruitutum* libertatis vsucapionem requiri solamque non vsu haud sufficere, probabilius est.
39. Pactum de non praestanda euictione generale venditorem a pretii restitutione, euictione insecuta, liberat.
40. Dominus emphyteuseos directus actione priuatoria iam instituta canonem ab emphyteuta recipiens, hac receptione actioni suae minime renuntiat.
41. Reuocatio committentis, licet mandatarius de ea nondum habuerit notitiam, negotium ab ipso postea peractum reddit inualidum.
42. Actionem pignoratitiam directam in rem scriptam esse, ostendi nequit.

43. Sententia iudicis iniqua, quae vim rei iudicatae accepit, absolutus, ex errore excusabili solum conditione indebiti reperere potest.
44. Feuda oblata in dubio pro impropriis vasalloque magis utilibus haberi, falso assumitur.
45. Sub infeudatione iurisdictionis indefinite facta, iurisdic-tio tantum inferior intelligenda venit.
46. Feudum pecuniarium a personis privatis constitui potest, quia confirmatio principis accedat.
47. In Feudo iure antiqui concessio, ascendentiis, nisi expresse constitutum sit, nulla est successio.
48. Petitum alternatum in libello formandum, tunc tantum locum habet, si adsit obligatio alternativa, sed in quibusdam tamen casibus & in obligatione simplici toleratur.
49. Regula uniuersalis, quisnam in processu probare debeat, haec est: ille debet probare, contra quem militat praesumptio iuris: ille vero ab hoc onere immunis est, qui talem probationem pro se habet.
50. Illa ergo regula, quae a pluribus traditur: in processu partem negantem a probatione immunem esse, affirmanti contra semper onus probandi incumbere, reicienda est, cum periculosa sit, haec generaliter vera.
51. Beneficium fori austraegalis ciuitatibus Imp. non competit, nisi speciali privilegio id adeptae sint, nec Praelati, Comes ac Nobiles immediati eo gaudent, si ab inferiore conueniuntur.
52. Recursus ad comitia, nisi de violatione legum aperte constet, denegandus omnino est.
- E SCIENTIA POLITICA.
53. Religio remedium perquam efficax est, salutem reipublicae promouendi, a principe ergo negligi haud debet.
54. Sponsalibus adimere suam vim obligandi, vile reputo.
55. An utilis sit subditorum illustratio (*Aufklaerung*)? quaestio est domitiana.

ULB Halle
007 366 752

3



VD 18







B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

1793, 1
144
10

DISSERTATIO INAUGURALIS
IVRIS ECCLESIASTICI PRIVATI
DE
ONERE REFICIENDI ECCLESIAS
ET
AEDES PAROCHIALES.

QVAM CVM SVBIVNCTIS
EX VNIVERSO IVRE POSITIONIBVS
EN ALMA IVLIO - DVCALI WIRCEBVRGENSIUM ACADEMIA
AVCTORITATE AMPLISSIMI IVRECONSULTORVM ORDINIS
PRAESIDE
PLVRIMVM REVERENDO, MAGNIFICO, CLARISSIMO ET
CONSULTISSIMO VIRO AC DOMINO
IOANNE PHILIPPO GREGEL
J. V. D. REVEREND. ET CELSISS. S. R. I. PRINCIPIS, EPISCOPI BAMBERG. ET
WIRCEBVRG. F. O. DVVIS CONSIL. ECCLES. INSIGN. ECCLES. COLLEG. IN HAVGIS
CANON. CAP. IVRIS ECCLES. PROFESS. PVBL. ET ORD.

PRO LICENTIA
SYMPOS IN VTROQVE IVRE HONORES LEGITIME CAPESSENDI
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVVSITIONI SVBMITTIT
NICOLAVS ANTONIVS KVHN
WERNECENSIS.

WIRCEBVRGI IN AVDITORIO IVRIDICO
DIE IVNII ANNO MDCCXCIII.
TYPIS FRANCISCI ERNESTI NITRIBITT, VNIVERSITATIS TYPOGRAPHI.